DIVAE AGNETIS
ROMANÆ VIRGINIS,
ET MARTYRIS,
HISTORIA
IN QVINQVE ACTVS

A Matthæo Mandragora Vadense

Disposita, nunc primum in lucem edita.

Ad Illustrissimum Dominum

FRIDERICVM CORNEVM ABBATEM.



PERVSIAE,

Ex Typographia Vincentij Columbarij: Superiorum permissu.

M. D. C. III.

PEracta fuit Romæ primum coram Illustriss., ac Reuerendiss. Card. BARONIO, aliisque magnis Præsulibus. M. D. CIII. Kal. Februarij.

Deinde Perusiæ coram Illustriss., ac Reuerendiss. Card. BEVILAQVA S. D. N. CLEMENTIS VIII. de latere Legato, SILVESTRO Aldobrandino magno Vrbis Priore, EPISCOPO Perusino, Alex. Magio Vicelegato, ASCANIO Corneo Marchione, ac Decemuiratu, & aliis præstantissimis Spectatoribus. Idibus Iulij. M. D. CIII.

ILLVSTRISSIMO DOMINO, FRIDERICO CORNEO ABBATI. S.P.D.

SI, quæ laudabilia ſunt, noſtra ſponte diligimus, atq; ad illa, virtutis amore, ducimur (Illuſtriſſime Friderice), non ne præceptis inſtituimur, vt hanc voluntatem ipſa ratio confirmet? nil aliud profectò reperiri poteſt ex omnibus rebus humanis (vt eruditione, atq; vſu percepi) litteris, doctrinaq; præſtantius; hinc ſequitur, vt litterato Principe laudabilius nihil eſſe videatur. Quod quàm auidè abs te

summo loco nato, sit expetendum; nempè, vt scientijs animum excolas, & virtutum omniũ intelligentia sis ornatus, tu ipse, qui Vrbem colis, tuaq; sponte ibidem, cum ad pietatem; tum ad decus incumbis, testari potes. Hinc Mandragora tuus tuarum laudũ perpetuus præco: qui te summæ spei Adolescentem Ascanij Cornei Marchionis filium admiratur, & obseruat: ac tuæ Familiæ Corneæ nobilitatem, egregiaq; tuorum maiorum decora, pro eo, ac debuit, semper suspexit. Nec solum laudabile mihi duco hanc meam, ex quo tempore disciplinæ meæ, vnà cum Fuluio fratre tuo, fuisti alumnus, ad te amandum, & colendum

lendum

lendum (quod antea mihi maximæ curæ fuit) volūtatem cotulisse; verum etiam necessarium huiusce animi mei, & meriti tui hoc signum extare, unde homines, quid de te sentiam, quid iudicem, intelligant. hunc libellum, scilicet diuæ Agnetis Romanæ Virginis, & Christi Martyris Historiam in quinq; actus dispositam, continentem, tibi dicare volui: opus, qualecumq; sit, iã pridem tibi, qui ab ipso ætatis primordio ad pietatem fuisti institutus, munus debitum. accipe non, vt a me (cuius ingenij quàm sint exiguæ vires, haud ignoro); sed a pio tanquam viridario primos Mandragoræ flores collige. Non enim dubi-

to, quin sic auidè accipias, vt ipse dicas, Mandragoræ dederunt odorem: ac de isto me munere nonnisi velis amare. Siq; multum tibi debeo, quòd me præclarissimi Parentes tui plurimis beneficijs ornarunt, & nonnisi tua caussa, de me sint optimè meriti; plurimum velle debeo, quòd maiora ornandi mei studia, & merita (vtinam augurium de te meum exitus comprobet) possum expectare. A me verò quæcumq; in te proficiscentur, ea libenter, meq; totum accipias velim. Bene Vale, & salue.

Tibi Addictissimus

Matthęus Mandragora.

PIO

PIO LECTORI SALVTEM.

PIO, & excellenti ingenio viri (pie Lector) quicquid laboris, & industriç possunt impendere, contemptis omnibus, & publicis, & priuatis actionibus, ad inquirendæ veritatis, pietatisq; colendę studium conferre solent: existimantes multò esse pręclarius, rebus diuinis operam dare, quàm in struendis opibus, aut cumulãdis honoribus inhęrere. Quorum exempla virorũ cupiens ipse (bene iuuante Deo) imitari; omne scribendi genus (si quod in me est) a prophanis historijs, aut fabellis, ad veram sanctorum Patrum sapientiam, & Christianę fidei doctrinã trans-

ferre decreui, & quicquid in posterum scriptis tradere possem, id solum ad bonorum omnium finem, hoc est, ad Virtutẽ dirigere, atq; in ipso pietatis, & iustitiæ fundamento constituere. Quod quidem multò melius, vtilius, gloriosius puto, nempè alicuius e Sanctis vitã latinis litteris prodere, quàm aut veterum philosophorũ, aut poetarum dicta, & gesta, quibus non ad virtutem, sed planè ad argutam malitiam Adolescentes erudiri solent, scribendo assequi. Quapropter decreui cętera, vt (ille dixit) ludicra ponere, omnisq; vt in hoc sim, curare, vt Adolescentes non modo mea scripta delectent; verum etiam adiuuent (ignosce Lector, si nimium mihi arrogare, dum alios mea scriptione delectare, atq; etiã iuuare volo, tibi viderer) & ad pietatem, veramq; Religionem prorsus

excitent

excitent, ob id eos Adoleſcentes, qui ſolent in euoluendis primę Claſsis au- ctoribus, Terentio, M. T. Cicerone, Cęſare, Saluſtio, Virgilio, Horatio, & alijs, e quibus loquendi proprietas, ac dicendi elegantia, tanquam e puris fontibus, hauritur, inſudare, quã ma- ximè poſſum rogo, vt huic lectioni ſeſe interdum, & pietatis, & animi cauſſa tradant: cuius finis eſt, nõ tam iocis, ac ſalibus animũ reficere, quàm illum ad Beatæ Agnetis amorem inflammare: huius namq; ſacta imitatione dignifsi- ma, quę ſic diſpoſita Reuerendiſſ. Ve- ſtrij Barbiani S. D. N. Clementis viii. a ſecretis, quem quidem facio, vt de- beo, plurimi, ſuaſu, & hortatu in ſuis ædibus Romæ recitanda curaui, multum niuare poterunt, ac delectare. Quod nimirum quanti ſit apud viros nobiliſſ. loco natos, ex hoc licet conij- cere

cere, quod Illustriss. ac Reuerendiss. D. BONIFATIVS Beuilaqua S. R. E. Cardinalis Amplissi. nunc Perusiæ S. D. N. CLEMENTI VIII de latere Legatus, virtutum omniũ cultor, iussit suos Nepotes Comites Antonium, & Cęsarem fratres huic se se lectioni tradere, hancq; vnà cum alijs publicè recitare. Nunc reliquum est, vt a Deo votis omnibus precer, vt omnes, qui hoc opus, qualecumq; sit, piè legerint, ad eũ, quo specetat animus, portum perueha ntur.

Vale, pie Lector, ac ne graueris quę soluta scripsi oratione, quæque a me (Deo propitio) scribenda forent, omni tempore, pro tua pietate, probare.

Matthæus Mandragora.

BONA-

BONAPAX BONAPACIVS PERVSINVS AD LECTOREM.

QVI caperis prisco linguæ candore Quiritum:
  Quiq; pudicitię magna trophęa cupis.
Hunc leges, quem doctus scripsit Mandragora librum
  Virginis Agnetis candida facta docens.
Virginis exemplar castum seruare docebit
  Corpus, &, eloquij dogmata monstrat opus.

IN DRAMA SANCTAE AGNETIS FEDERICO CORNEO DICATVM.

Comes Hippolytus Beuilaqua Ferrariensis.

EXCITAT, ignotam priscis Mandragora Musam;
  In scena sacram dum docet historiam.
Conuenit, ignotam priscis quoq; ferre coronam.
  Pro lauris igitur Cornea serta gerat.

DE DIVA AGNETE VIRG. ET MART.

Comitis Gregorij Beuilaqua Veronensis.

QVOMODO nudatam longi texere capilli,
  Cernere nec cuiquam corpora nuda licet?
Crinitus radios vltrò retraxit Apollo,
  Agnetemq; comis induit ipse suis.

GEORGIVS BOSIVS FABRIANENSIS.

STRENVA Romanum; Virgo, cum viceris Hostem,
  Imbellis nomen cur dedit Agna tibi?
Agna mihi nomen, nec sum pugnacior Agna;
  Sed rabidum Pastor perculit ipse Lupum.

DE

DE EADEM IN MEDIIS FLAMMIS EXISTENTE.

Camillus Baldinus Soranus.

IGNIBVS in medijs illæso corpore, iunctas
Ad Cęlum tendit casta virago manus.
Nec mirum, membris si parcit flamma pudicis,
Quæ lasciua nequit commaculare Venus.

MATTHEVS MANDRAGORA IN EANDEM.

POSTQVAM pudica sponsa scelerauit thoros,
Vt illa prisca fama fulgeret magis,
Succubuit ante patruos post crimen pedes:
Veretur Agnes criminis tanti memor,
Longus ne lucis vsus aspergat nota
Parum pudica coniugis thalamus sui,
Deuota morti gloriam sceleri negat,
Et ante crimen, fraude superata, cadit:
Negat illa veniam, post scelus sceleri nocens;
At ista crimen non habet, nec crimini
(Velit etiam innocens) potest veniam dare.

AD MATTHAEVM MANDRAGORAM

Modestus Nicolutius a Petralonga.

HAVD Veteres colimus, quod numina vana Deorum
Extollant: sed quod patria lingua placet:
Postera te verò Mandragora diliget ætas:
Nam eloquio fulges, & pia facta refers.

M.

M. ANTONIVS GVGLIELMINVS ROMANVS PATRIAM ALLOQVITVR.

AGNETEM terris peperisti, Roma, triumpha;
Sedibus est eadem Virgo recepta suis:
Quæ ferrum, vicitq; faces, iramq. Tyranni,
Hæc tibi Diua tuus, Roma, triumphus erit.

LAVRENTIVS PRATVS NEPESINVS.

ROMA triumphas? cur tua cingis tempora lauro?
Agnetis virtus magna trophæa tulit.
Inuicta hæc semper cælo sponsalia seruat,
Hic legit æternus florea serta pudor.

ALLA SANTA.

Iacomo Razzi Perugino.

NEL Parnaso del Cielo,
Oue duol mai non giuns', e gioia abbonda
Soura stellata luminosa scena
Al'armonia delle superne rote,
Non di Tragiche note
Spiegan gli Elogij tuoi l'eterne menti:
Ma dolcissimi accenti
A te son perle, a lor pompa gioconda.
Quest'in voce di Cigno, e di Sirena
Qua giù flebil ti sacra amaro canto;
Poi ch'è loco di pianto.

AD BEATAM AGNETEM.

Constantius Paulucius Perusinus.

HOC tibi non mirum, quod nomen contigit Agnes;
Agnus enim tanquam victima facta Deo es.

IN-

INTERLOCVTORES.

SEianus	*Agneus Pater.*
Metella	*Mater.*
Agnes.	*Filia.*
Simphronius	*Vrbis Præfectus.*
Præfecti Vxor.	
Lepidus	*Adolescens filius.*
Oriens	*Philosophus.*
Aspasius	*Iudex.*
Fulgentius	*Medicus.*
Lambertus	*Oeconomus.*
Scipio	
Amantius	*Aulici.*
Vrbanus	
Fabiolus	*Pueri.*
Laurentiolus	
Vincentius	*Miles.*
Serenus	*Parasitus.*
Rogerius	*Satellitum Dux.*
Nuncius 1.	
Nutrix	*Agnetis.*
Puellę 2.	*Eiusdem.*
Nuncius 2.	
Cacodęmon.	
Angeli.	*Concinentes.*

Prætereuntes, & acclamantes per Vrbis vias.

Peregrinus, Camini purgator, Intestinorum venditor, Isaacus Iudæus.

PRO-

PROLOGVS.

PIETATIS HONOS.

PIA sanè, ac salutaris est illorum doctrina (Spectatores optimi, ac præstantissimi) vbi docent inter omnia verè pietatis exercitamenta nihil praestantius, nihil Deo gratius, hominiq; vtilius, ac magis necessarium, & ad bene, beatèq; viuendum accommodatius, quàm in assidua vitæ, & passionis Christi, sanctorumq; Martyrum, ac Virginum fidei, constantiæ, puritatis, continentiæ, atq; integritatis meditatione se so diligenter exercere. Id quod non modo eruditissimorum hominum exempla, & doctrina, sed ipsa etiam experientia rerum magistra luculenter ostendit, atq; confirmat Quod, vt facilius assequerentur quidam pij, & optimè spei Adolescentes, qui ad Dei amorem, & gratiarum actionem se se volunt excitare, atq; inflammare; primum Christi vitam, & passionem, eiusq; multa, atq; immensa in nos beneficia recolere; deinde Sanctorum, sanctarumq; Martyrum virtutes meditantes, eas pro viribus imitari; postremo alicuius ex eis vitam, & laudabilẽ finem ob oculos ponere constituerũt. Hisq; diebus occurrit Sanctæ Agnetis Romanæ Virginis, & Martyris pia gesta referre, futurum sperantibus,

tibus, vt maiori cum fructu in Deum pietas colatur, & omnia Christianæ religionis officia prompto, atq; allacri animo reipsa præstentur. Date operam (Spectatores) & cum silentio animaduertite, vt pernoscatis, quid sit fortius, pium vnius Virgunculæ propositum, an tota Vrbis Præfecti potentia; Iudicis impij sæuitia, an Agnetis mansuetudo: quid salubrius Christi fidem inter tormenta tueri, an auri, & argenti caussa, iniquis viris assentiri. Lepidus Præfecti Vrbis filius Agnetis amore flagrans nihil non conatur, vt suas expleat cupiditates: præbet aurum, defert munera pretiosissima, diuitias, & opes pollicetur; omnia recusantur. Insanus Adolescens genio indulgens eò reditur, vt a Dęmone suffocetur. at ipse Agnetis precibus ad vitam reuocatus, in Christi militiam dare nomen accellerat. Hęc denique constans, & pia Virgo in finem perseuerans, e diris tormentis ad cælestes delicias perpetuò triumphans ab Angelis deducitur. Pijs adeste animis.

SCENA

ACTVS PRIMVS

SCENA PRIMA.

Lambertus. Scipio. Fabiolus.

Lam. LAETITIAE nostræ origo, mi Scipio, quæ nam sit, iam probè tenes. Pręclaræ namq; indolis, & virtutis Agnes cum in primis optimæ filiolę officia erga Parentes benignè, ac piè præstet, atq; in ijs rebus, vt nobili loco nata, potissimum se exerceat, e quibus vera laus emanare solet, non nisi Parentibus gaudium parit, domui pacem affert, in Vrbe magnam de se expectationem excitat, quam ipsa re sustinebit, ac tuebitur semper.

Scip. Lætus, ac lubens quæ de Agnete refers, audio. felix pater, qui talem suscepit filiam; fortunatior mater, quæ pulcherrimam illam peperit, virtutibus imbuit, & honestam Virginem seruat; felicissimus Lepidus Vrbis Præfecti filius, qui eam vxorem ducet. Ducat quamprimum, Lamberte; quid enim posset addi ad hanc lętitiam?

Fab. Ego quoq; cum nuptiæ fient, lætitijs incedam, domi saltabo, equitabo per Vrbem, ruri solatia capiam.

ferre decreui, & quicquid in posterum scriptis tradere possem, id solum ad bonorum omnium finem, hoc est, ad Virtutẽ dirigere, atq; in ipso pietatis, & iustitiæ fundamento constituere. Quod quidem multò melius, vtilius, gloriosius puto, nempè alicuius e Sanctis vitã latinis litteris prodere, quàm aut veterum philosophorũ, aut poetarum dicta, & gesta, quibus non ad virtutem, sed planè ad argutam malitiam Adolescentes erudiri solent, scribendo assequi. Quapropter decreui cętera, vt (ille dixit) ludicra ponere, omnisq; vt in hoc sim, curare, vt Adolescentes non modo mea scripta delectent; verum etiam adiuuent (ignosce Lector, si nimium mihi arrogare, dum alios mea scriptione delectare, atq; etiã iuuare volo, tibi viderer) & ad pietatem, veramq; Religionem prorsus

excitent

excitent, ob id eos Adolescentes, qui solent in euoluendis primę Classis au- ctoribus, Terentio, M. T. Cicerone, Cęsare, Salustio, Virgilio, Horatio, & alijs, e quibus loquendi proprietas, ac dicendi elegantia, tanquam e puris fontibus, hauritur, insudare, quã ma- ximè possum rogo, vt huic lectioni sese interdum, & pietatis, & animi caussa tradant: cuius finis est, nõ tam iocis, ac salibus animũ reficere, quàm illum ad Beatæ Agnetis amorem inflammare: huius namq; sacta imitatione dignissi- ma, quę sic disposita Reuerendiss. Ve- strij Barbiani S. D. N. CLEMENTIS VIII. a secretis, quem quidem facio, vt de- beo, plurimi, suasu, & hortatu in suis ædibus Romæ recitanda curaui, multum niuare poterunt, ac delectare. Quod nimirum quanti sit apud viros nobiliss. loco natos, ex hoc licet conij-

cere

cere, quod Illustriss. ac Reuerendiss. D. BONIFATIVS Beuilaqua S. R. E. Cardinalis Amplissi. nunc Perusiæ S. D. N. CLEMENTI VIII de latere Legatus, virtutum omniū cultor, iussit suos Nepotes Comites Antonium, & Cęsarem fratres huic se se lectioni tradere, hancq; vna cum alijs publice recitare. Nunc reliquum est, vt a Deo votis omnibus precer, vt omnes, qui hoc opus, qualecumq; sit, pie legerint, ad eū, quo specctat animus, portum perueniantur.

Vale, pie Lector, ac ne graueris quę soluta scripsi oratione, quæque a me (Deo propitio) scribenda forent, omni tempore, pro tua pietate, probare.

Matthæus Mandragora.

BONA-

BONAPAX BONAPACIVS PERVSINVS AD LECTOREM.

QVI caperis prisco linguæ candore Quiritum:
  Quiq; pudicitię magna trophęa cupis.
Hunc leges, quem doctus scripsit Mandragora librum
  Virginis Agnetis candida facta docens.
Virginis exemplar castum seruare docebit,
  Corpus, &, eloquij dogmata monstrat opus.

IN DRAMA SANCTAE AGNETIS FEDERICO CORNEO DICATVM.

Comes Hippolytus Beuilaqua Ferrariensis.

EXCITAT, ignotam priscis Mandragora Musam;
  In scena sacram dum docet historiam.
Conuenit, ignotam priscis quoq; ferre coronam.
  Pro lauris igitur Cornea serta gerat.

DE DIVA AGNETE VIRG. ET MART.

Comitis Gregorij Beuilaqua Veronensis.

QVOMODO nudatam longi texere capilli,
  Cernere nec cuiquam corpora nuda licet?
Crinitus radios vltrò retraxit Apollo,
  Agnetemq; comis induit ipse suis.

GEORGIVS BOSIVS FABRIANENSIS.

STRENVA Romanum, Virgo, cum viceris Hostem,
  Imbellis nomen cur dedit Agna tibi?
Agna mihi nomen, nec sum pugnacior Agna;
  Sed rabidum Pastor perculit ipse Lupum.

DE EADEM IN MEDIIS FLAMMIS EXISTENTE.

Camillus Baldinus Soranus.

IGNIBVS in medijs illæso corpore, iunctas
Ad Cęlum tendit casta virago manus.
Nec mirum, membris si parcit flamma pudicis,
Quæ lasciua nequit commaculare Venus.

MATTHEVS MANDRAGORA IN EANDEM.

POSTQVAM pudica sponsa sceleranit thoros,
Vt illa prisca fama fulgeret magis,
Succubuit ante patruos post crimen pedes:
Veretur Agnes criminis tanti memor,
Longus ne lucis vsus aspergat nota
Parum pudica coniugis thalamus sui,
Deuota morti gloriam sceleri negat,
Et ante crimen, fraude superata, cadit:
Negat illa veniam, post scelus sceleri nocens;
At ista crimen non habet, nec crimini
(Velit etiam innocens) potest veniam dare.

AD MATTHAEVM MANDRAGORAM

Modestus Nicolutius a Petralonga.

HAVD Veteres colimus, quod numina vana Deorum
Extollant; sed quod patria lingua placet:
Postera te verò Mandragora diliget ætas:
Nam eloquio fulges, & pia facta refers.

M. ANTONIVS GVGLIELMINVS ROMANVS PATRIAM ALLOQVITVR.

AGNETEM terris peperisti, Roma, triumpha;
 Sedibus est eadem Virgo recepta suis:
Quæ ferrum, vicitq; faces, iramq; Tyranni,
 Hæc tibi Diua tuus, Roma, triumphus erit.

LAVRENTIVS PRATVS NEPESINVS.

ROMA triumphas? cur tua cingis tempora lauro?
 Agnetis virtus magna trophæa tulit.
Inuicta hæc semper cælo sponsalia seruat,
 Hic legit æternus florea serta pudor.

ALLA SANTA.

Iacomo Razzi Perugino.

NEL Parnaso del Cielo,
 Oue duol mai non giung', e gioia abbonda
Soura stellata luminosa scena
Al'armonia delle superne rote,
Non di Tragiche note
Spiegan gli Elogij tuoi l'eterne menti:
Ma dolcissimi accenti
A te son perle, a lor pompa gioconda.
Quest'in voce di Cigno, e di Sirena
Qua giù flebil ti sacra amaro canto;
Poi ch'è loco di pianto.

AD BEATAM AGNETEM.

Constantius Paulucius Perusinus.

HOC tibi non mirum, quod nomen contigit Agnes?
 Agnus enim tanquam victima facta Deo es.

IN-

INTERLOCVTORES.

Seianus	*Agnetis Pater.*
Metella	*Mater.*
Agnes.	*Filia.*
Simphronius	*Vrbis Præfectus.*
Præfecti Vxor.	
Lepidus	*Adolescens filius.*
Oriens	*Philosophus.*
Aspasius	*Iudex.*
Fulgentius	*Medicus.*
Lambertus	*Oeconomus.*
Scipio	*Aulici.*
Amantius	
Vrbanus	
Fabiolus	*Pueri.*
Laurentiolus	
Vincentius	*Miles.*
Serenus	*Parasitus.*
Rogerius	*Satellitum Dux.*
Nuncius 1.	
Nutrix	*Agnetis.*
Puellę 2.	*Eiusdem.*
Nuncius 2.	
Cacodęmon.	
Angeli.	*Concinentes.*

Prætereuntes, & acclamantes per Vrbis vias.

Peregrinus, Camini purgator, Intestinorum venditor, Isaacus Iudæus.

PRO-

PROLOGVS.

PIETATIS HONOS.

PIA sanè, ac salutaris est illorum doctrina (Spectatores optimi, ac prestantissimi) vbi docent inter omnia verę pietatis exercitamenta nihil praestantius, nihil Deo gratius, hominiq; vtilius, ac magis necessarium, & ad bene, beateq; viuendum accommodatius, quàm in assidua vitæ, & passionis Christi, sanctorumq; Martyrum, ac Virginum fidei, constantiæ, puritatis, continentiæ, atq; integritatis meditatione se se diligenter exercere. Id quod non modo eruditissimorum hominum exempla, & doctrina; sed ipsa etiam experientia rerum magistra luculenter ostendit, atq; confirmat Quod, vt facilius assequerentur quidam pij, & optimę spei Adolescentes, qui ad Dei amorem, & gratiarum actionem se se volunt excitare, atq; inflammare; primum Christi vitam, & passionem, eiusq; multa, atq; immensa in nos beneficia recolere; deinde Sanctorum, sanctarumq; Martyrum virtutes meditantes, eas pro viribus imitari; postremo alicuius ex eis vitam, & laudabilẽ finem ob oculos ponere constituerũt. Hisq; diebus occurrit Sanctæ Agnetis Romanæ Virginis, & Martyris pia gesta referre, futurum sperantibus,

tibus, vt maiori cum fructu in Deum pietas colatur, & omnia Christianæ religionis officia prompto, atq; allacri animo reipsa præstentur. Date operam (Spectatores) & cum silentio animaduertite, vt pernoscatis, quid sit fortius, pium vnius Virgunculæ propositum, an tota Vrbis Præfecti potentia; Iudicis impij sæuitia, an Agnetis mansuetudo: quid salubrius Christi fidem inter tormenta tueri, an auri, & argenti caussa, iniquis viris assentiri. Lepidus Præfecti Vrbis filius Agnetis amore flagrans nihil non conatur, vt suas expleat cupiditates: præbet aurum, defert munera pretiosissima, diuitias, & opes pollicetur; omnia recusantur. Insanus Adolescens genio indulgens eò reditur, vt a Dæmone suffocetur. at ipse Agnetis precibus ad vitam reuocatus, in Christi militiam dare nomen accellerat. Hęc denique constans, & pia Virgo in finem perseuerans, e diris tormentis ad cælestes delicias perpetuò triumphans ab Angelis deducitur. Pijs adeste animis.

ACTVS PRIMVS

SCENA PRIMA.

Lambertus. Scipio. Fabiolus.

Lam. LAETITIAE nostræ origo, mi Scipio, quæ nam sit, iam probè tenes. Preclaræ namq; indolis, & virtutis Agnes cum in primis optimæ filiole officia erga Parentes benignè, ac piè præstet, atq; in ijs rebus, vt nobili loco nata, potissimum se exerceat, e quibus vera laus emanare solet, non nisi Parentibus gaudium parit, domui pacem affert, in Vrbe magnam de se expectationem excitat, quam ipsa re sustinebit, ac tuebitur semper.

Scip. Lætus, ac lubens quæ de Agnete refers, audio. felix pater, qui talem suscepit filiam; fortunatior mater, quæ pulcherrimam illam peperit, virtutibus imbuit, & honestam Virginem seruat; felicissimus Lepidus Vrbis Præfecti filius, qui eam vxorem ducet. Ducat quamprimum, Lamberte; quid enim posset addi ad hanc letitiam?

Fab. Ego quoq; cum nuptiæ fient, lætitijs incedam, domi saltabo, equitabo per Vrbem, ruri solatia capiam.

Lamb. Ante victoriam canis triumphum. vtinam hæ nuptiæ propediem fiant. verum antequam huius diei horæ cedant, rei euentum experiemur.

Scip. Felix, vt spem habeo, erit euentus; nam si (quemadmodum sermone omnium perfertur, tuq; mihi affirmas) a nobilitate, a pulchritudine, a diuitijs, & præsertim ab honestate commendetur Agnes, vxorem sibi Lepidus quam primum ducere cupiet.

Fab. Quid mihi optabilius? tunc bellarijs, & cupedijs vesci potero; & vbiq; gestire.

Lamb. Immo spero futurum ante vnius horæ curriculum, vt hęc affinitas contrahatur. nunc verò quid noui sit, ignoro.

Scip. Volumus (quod tuo commodo fiat) ingredi? alloquemur Seianum, & ab eo aliquid noui de nuptijs intelligemus.

Lamb. Iam, vt scis, pedem extuli, & eum cum Philosopho loquentem in cubiculo reliqui. si lubet interpellare, tecum veniam, & aditum patefaciam.

Fab. Præibo si vultis, & qua hora cum Seiano loqui possitis, nunciabo. lętabundus eo.

Scip. Satius erit, quo ad Philosophus intus maneat, ad Lepidum pergere, nostriq; gaudij causas exponere.

Lamb. Mihi per tempus minime licet. redeas cum libuerit, aditus patebit.

Scip. Recipe te domum, quò si fortè Amantius aduentaret,

uentaret, vt cum Agnete loqui posset, ingressum illi patefacias.

Lamb. Quod iniungis, hærebit, & hilariter perficiam. diu læte viuas.

Scip. Fortunet Cęlum heri tui familiam. Tu, Fabiole, quid noui afferes Lepido nostro?

Fab. Referam bene valere Agnetem, eiusq; Parentes ad celebrandas nuptias esse paratos.

Scip. Si non dum Agnes nupsit, quo pacto fient nuptiæ?

Fab. Iam arbitror illam nupsisse; nam quæ ad nuptias pertinent, ni fallor, extructa vidi. Lęta est Agnes, lętiq; Parentes. ibiq; canitur fidibus. audi quæso. o quæ suauitas ad aures meas peruenit?

Scip. Alibi canitur; non in ædibus Agnetis. hac te flecte, & excipe.

Fab. Non aliunde mihi duco hanc dulcedinem exaudiri, quàm ipsius Agnetis domo, vbi etiam vidi Architiclinum, & Pincernam, vnum dapes conquisitissimas, alterum vina generosa pręparasse. aspexi intus parietes nouis aulæis obductos, egregijs tabulis, ac signis ornatos, mensas tapetijs inauratis instratas, abacosq; cęlato argento, & aureis pateris extructos, omnia deniq; ad nuptias, atq; ad hoc lætissimum tempus apposita.

Scip. Sic Romani ciues domi degere solent; alibi quoq; sumptuose viuitur; cum nuptiæ fient, multò maiora lætitiæ signa extabunt, ac for-

ſan hodie non ad veſperam peruenerimus, cum vehementer gaudere licebit.

Fab. *Gaudeamus, Dÿ ſaxint, quam primum. introeamus, & Lepidum alloquamur.*

SCENA SECVNDA.

Seianus. Oriens.

Seia. *QVid tibi, Oriens, videtur, quid ſentis de Agnete filia mea? tertium, & decimum annum agit, & ita prudenter loquitur, ac ſapienter diſſerit de rebus ad animorum immortalitatem ſpectantibus, perinde, ac ſi ætate iam prouecta eſſet. Nec prius de cibo, & potu, de quiete, quæ ſunt naturæ tributa; de ſolatÿs, quibus capiuntur homines, vt hamo piſces; non prius de ornatu corporis; quàm de diuinis rebus, de ſpiritali refectione, depÿs oblectationibus, & virtutibus cogitat: nec aliud in primis, niſi quo pacto Deo placere poſſit, & eſſe grata.*

Ori. *Iam tenes, mi Seiane, duodecim menſibus volui annum, & eum in quatuor digeri tempora, in ver, æſtatem, autumnum, & hyemem, ÿsq; homines (quod quidem natura ipſa docet) amplius delectari, qui ſolent aeris temperiem, fructuum copiam, & cæli ſalubritatem afferre: non autem ÿs, in quibus modo æſtus, & cælum inſalubre;*

insalubre; modo summa hyems, perfrigida tẽpestas, imbresq; maximi; aliquando tonitrua, fulgura, grandines oriuntur, & nebulę; hincque sępe annonæ caritas, bella, & pestilentię; sed vt diximus, menses hominibus maiori sunt oblectationi, qui cęli serenitatem, optatissimum pacis, ac bonę valetudinis munus, & frugum omnium copiam suppeditare solent.

Seia. *Quorsum tu istuc?*

Ori. *Quorsum? tacitè loquor de filia tua, quæ cum sit, vt mihi affirmas, eximię spei puella, quid aliud ab ea expectare potes, quàm quod a mensibus ęstiuis? hoc est, pro calore, charitatem, cuius ipsa studio flagrat; pro pomis, virtutum omnium fructus vberrimos; pro ruralibus delicijs, voluptates animi de cęlestibus bonis assiduè cogitantis; pro aeris temperie animi tranquillitatem, pro cęli salubritate, mentis integritatem, pro frugum copia, pręclaras actiones, quę si mediteris, mi Seiane, vera esse comperies.*

Seia. *Vera narras. iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? Agnes mea, vt video, nomen, famam, & familiam immortalitati cõmendare studet; quippe quę spretis humanarum rerum illecebris, vnam plurimi facit pudicitiam, ex qua, tanquam e rure feracissimo fructuum omnium copia, cunctę colligentur virtutes, ac bona incorruptibilia.*

Ori. *Bona profectò, quæ non vim, non grandinem,*

non incendium, non naufragium, non ipsum denique Iouem extimescunt.

Seia. *Idcirco circumfluo lætitijs. quis me vno viuit hodie felicior? quis fortunatior?*

Ori. *Rectè tu quidem: nam cum talem Deo susceperis filiam, omnium felicitatem, ac fortunas reuera superas*

Seia. *Si lętor vehementer, non possum satis admirari.*

Ori. *Quam ob causam?*

Seia. *Mea filia non vult nubere mortali viro; sic ipsa mihi respondet; iam sponsum duxi cęlestem.*

Oro. *Itane?*

Seia. *Ita pol quidem res est. idcirco sic innuptam domi seruo, quid ais, benefacio?*

Ori. *Optimè, sapientissimè, nihil supra, & ob id opinionem, auguriumque de illa meum exitus comprobabit; ego enim fretus indole, moribus, ingenio, verè conieci. est ergo, cur gaudeas, & nullus relinquatur dubitationi locus, neque etiam admirationi.*

Seia. *Vtrique nostrum gratulor; tibi, quem in oculis fero, tot, ac tantis decoratum virtutibus, & Vrbs tota plurimi facit; mihi, cui tribuuntur ea, quę sapientissimus quisque semper optanda, & maximi pendenda duxit.*

Ori. *O, mi Seiane, tibi maximam habeo gratiam. Quid vis amplius? de te optimè sentio, deque filia tua non nisi pręclarè.*

Seia. *Cuncta tibi optata contingant, vir sapientissime, Necesse haberem plura, tecum loquendo, persequi,*

persequi, sed ne virum tantarum rerum occupationibus distentum diutius immorer, me recipiam domum, quę tibi semper patet. Venias, ni graue sit. siquid negotij habes, a prandio statim conficies, commodabo tibi rhedam, qua veharis, aut equum.

Ori. *Tibi nolo sumptum facere, cui plurimum debeo, iam scio quàm sis liberalis, & munificus, aliàs te reuisam.*

Seia. *Venias. pati nolo te sic ieiunum abire.*

Ori. *Faciam quod iubes, introeamus.*

Seia. *Nihil mihi gratius accidere potest.*

SCENA TERTIA.

Lepidus.

Lep. *HAEc hora mihi penè annus videtur. misi famulū ad Agnetis Patrem, nec dū ab eo responsum accepi. hac me suspensum expectatione tenet. si mihi liceret eiusmodi habere vxorem, qualem nec sperare, nec similem reperire possem, omnium diuitias, & prata contemnerem: pluris enim facio, & potiores habeo ingros eius oculos carbunculis omnibus: rubea labra coralijs: dentes candidos vnionibus, & margaritis: flauos capillos auro purissimo: a vertice denique ad plantas tanti a me fit vnica Agnes (cuius etiā animi bona quot, quantaq; sint*

penitus noui) quanti non fiunt simul omnes plurimum a forma, honestate, ac fortuna comendandę. Laudent alij pulcherrimas Vrbis; immo totius orbis mulieres; ego non efferam laudibus, non extollam pręconijs Agnetem? immo sic, vti debeo, comendabo semper, vt nulli ęquauero, pręfulero cęteris. O dies, credibile non est, quàm optatus, & carus illuxeris, in quo mihi fas erit vna esse cum illa. id cupio id, solum exopto.

SCENA QVARTA.

Lepidus. Amantius.

Lep. *Nimiũ serò redis, Amanti, si infaustũ mihi nuncium; sin optatum, opportunè aduenisti. quid rei est? scire aueo, quid agat Agnes, quid responderit, annuat ne votis nostris, an non.*

Am. *Precibus nostris nullus relictus est locus. abnuit, obstitit, & petitioni nostrę dixit satisfacere se nullo pacto posse.*

Lep. *Quibus de caussis?*

Am. *Hac solum de caussa; quia non vult homini mortali nubere, vel ditissimo, & nobili loco nato: iam se vnico, & immortali sponso dicasse affirmat. itaque hanc spem abijcere potes.*

Lep. *Non vereor, si meam intelligat potentiam, opes*

pes, ac generis nobilitatem, quin ipsa velit quam primum ab ista sententia discedere, meq; suum virum accipere.

Am. Toto, vt aiunt, aberras cęlo, si tuum in animum inducas hanc puellam vllo vnquam tempore consilium mutaturam. stat sententia, & ita stat, vt si Rethores facundissimi dicendi artem adhiberent, verba luderent; ne dum ipse, qui vnico eius responso facile vincar. quid conamur?

Lep. Es animo vili, & abiecto, & vt video, minus aptus ad exequenda tui Domini iussa. cur animo cadis? accipe, sub horam prádij redęas ad illam, cui affirmes volo, nihil in meis consilijs antiquius esse, quàm, vt mihi detur in matrimonium. quare si effeceris, vt mutet rationem, & me amantem redamet, me tibi polliceor, quid quid petieris non negaturum.

Am. Vis me beare tuis pollicitationibus. here mi, non ne? o si tua iussa perfecero, & noui attulero, quod tuum expleat desiderium, debes promissa rebus comprobare. Felicibus ibo auspicijs.

Lep. Adesdum paucis te volo, Amanti, percepistin?

Am. Ita domine. crede mihi, efficiam quæ potero, & conabor etiam ea, quę non potero, vt voti compos fias.

Lep. A duola, fac domum redeas, ibi me conuenies. Ecquis scit? nulla est tam difficilis res, quin aliqando

aliquando facilis fiat: omnia tempus minuit, & mollit, Dedi quoque litteras Laurentiolo meo ad eandem, quæ, Dij faxint, vt mihi rescribat. Vos planè scitis, o Dij boni, quàm frequenter mihi incesserit cupido videndi, alloquendi, & complectendi Agnetem, quã quidem miserè, ac perditè amo. idcirco efficite, vt quod a vobis, Dij immortales, precor, eius me compotem aliquando factum, gaudere possim. boc vos vehementer etiam, atque etiam rogo.

SCENA QVINTA

Lambertus. Laurentiolus.

Lamb. *Dies multi, Laurentiole, non effluxerunt cũ tu missus fuisti a prçclarissimis Lepidi parentibus ad me, cuius opera tuus herus haberet, quod vehementer, ac diù proptauit. Equidem hodiemane nostris in ædibus te Lepidi laudes plena manu in astra tollentem lætus, ac lubens audiui; sed Agnes Domini mei filia præbere aures de dignata fuit, nec parum succensuit mihi de isto negotio cum illa placidè loquenti. Sed in posterum habebo rationem, vt Agnes amanti Lepido indulgeat, & spem habeo mea verba apud illam maximum pondus habitura.*

Si

Laur. Si verba tunc minime profuerunt, spero fore, vt hæc epistola multũ proficiat, quam ipse Lepidus chyrographo suo ad Agnetem dedit. lege, non est obsignata.

Lamb. Tu fortè resignasti, ah callidule. da mihi, soleo interlegendum specillis vti. o quam vacillantibus litterulis hæc scripta est epistola? vix ego legere possum, quo pacto vis ab Agnete huiusmodi notæ, ac signa intelligantur?

Lau. Vtinam ego ipse tam probè legerem, quam Seiani filia, legito, si lubet.

LEPIDVS AGNETI S. P. D.

Lamb. Iam diù est, o mea lux, meumque desiderium, cum tibi per nũcios, & per litteras animum indicaui meum. illud idem scias in meis nunc esse consilijs. Quare, si vis tibi, tuæq; domui consulere, mihique satisfacere, me tuum accipe virum, & cuncta bona, quæ solent ex matrimonio percipi, fac expectes. Persequi nolo tecum plura scribendo. quid opus est verbis? totus animo sum, & studio tuus. Vale, mihiq; nubere non dedigneris. e cubiculo meo ante lucem.

Laur. Ista epistola per breuis est; sed multa paucis complectitur.

Lam. Quid censes facturum fuisse Lepidum, si adhuc sui iuris esset; nõ sub potestate constitutus? nuncios, & munera mittit, scribit epistolas, &

alia

alia conatur. sed, vt dicitur, littus arat. hac super re multa dicerem; sed æconomum abesse domo non decet.

Laur. Iam Diu est, cum noui ab illo aquam in murtario tundi, & nodum in scirpo quæri. at, ommissis cæteris, dato mihi strenam, puer sum, pecunia carco, ludere non possum.

Lamb. Si vis aliquot numulos tibi præbeam, omitte lusionem, & eme librum, cui studeas. accipe.

Laur. Porrige nummos non adulterinos. pol quidem sunt argentei. Volo numerare. vnus, duo, tres; quatuor, quinque, sex, septem, octo, nouem, decem, vndecim, duodecim, tresdecim, quatuor, & decem, quindecim, sexdecim, septem, & decem, octo, & decem, vndeuiginti, viginti, & duo. Deo sint grates. Domine Lamberte, gratias tibi ago quas possum, & debeo; tuæque liberalitatis ero perpetuus præco.

Lamb. Nulla fides puero, vates ille dixit. ipse, accepta pecunia, oblitus est mei: non autem lusionis: non autem gulę, cui solet indulgere. intro me conferam, sique illum non inuenio, dabo operam, vt vapulet. sed prius Lepidi parentes, vt mihi paullò ante demandatum fuit, adire volo.

SCE-

SCENA SEXTA.

Seianus. Agnes.

Seia. AGnes filia, dic sodes, istam vitam tibi esse acerbam putas, non ne?

Agn. Cur, mi Pater? immo dulcem, immo suauem, immo beatã. quid suauius libero lectulo? quid optabilius Christo sponso?

Seia. Cęlibem vitam laudas? tu quidem es matura viro, nec vis nubere? ista bona, quæ tibi Deus elargiri voluit; nempe corporis egregiam formam, fortunas, & animi ornamenta, satis opimam nobis conditionem detulerunt, non vis accipere? noli recusare.

Agn. Tantum abest, vt accipiam tibi oblatam affinitatis, ac nobilis coniugij conditionem, vt potius relictura sim te parentem, dummodo illi satisfaciam, cui me totam tradidi, & dedi.

Seia. Ah ne sæuias tantopere, filia; matrimonij sunt multa bona, erit tibi, Deo dante, pulcherrima proles: fient accessiones, & fortunę, & dignitatis: erit idem victus, idem thorus, & animorum summa cõsensio. Si tu formosa: & ipse, qui cupit legittimis nuptijs tecum copulari, est venustus. es nobilis; & ille clarus. es opulenta; & ille ditissimus. es honesta; & ille honorem tuetur. te ferunt oculis, & contemplantur, qui te semel aspexerint; & illum, qui non suspiciat, & admiretur, est nemo. vides nunc,

Agnes,

Agnes, quot causas nubendi habes?

Agn. Multo plures non nubendi, & potiores habeo. Est virginitas, qua nihil Deo gratius: animi coniunctio cum Christo sponso: pulchritudo pudicitiæ: diuini famulatus dignitas: diuitiæ cęlestes: amor cęlituum: partus virtutum, & bonorũ nunquam deficientium adeptio. istæ tuæ conditiones nihil ad meas. itaq; non nubendi sunt caussę multo plures, vt dixi, & potiores.

Seia. Iam, vt video, sic permanere, filia, decreuisti, ita ne est?

Agn. Ita planè est. sola virginitas est in amoribus, atq; in delicijs: cęlesti sponso Dei filio, & animo, & mente, vel si pro eo sanguinem profusura essem, adhærere volo.

Seia. A tuo nihil quicquam discrepat consilium meum; sed mihi videris ab æquitate discedere, dum Patri tuo, qui ex te, antequam e vita discedam, prolem videre cupio, non vis auscultare. Si lubet in ista, dum viuis, coniunctione manere, vellem augurari, & verè coniycere tibi faustam, felicem, ac fortunatam fore.

Agn. Immo felicissimam, fortunatissimam, & beatissimam sperare potes, & credere debes: nam Christi sponsæ accipiũt coronas, quas illis Deus in æternum præparauit, nempè Cęli gloriam, ac sempiternam diuinitatis fruitionem.

Seia. O mea filia, ista tua consilia pręclara sunt, & penè diuina. Deus ad bonos exitus perducat.

Agn. Euehat ille Deus omnipotens te quoque mi Pater

ter, ad veram fidei lucem, atque ad veri cultus intelligentiam.

Hic egreditur pauper claudus petens eleemosynam, qua accepta ab Agnete, gratias Deo agit, & iter suum pergit.

S. *Recipiamus nos in ędes nostras ad aliquid boni agendum.*

Seia. *Sed non vis in hac mihi caussa satisfacere? si te Christianā profiteris, nihil impedio, vnusquisque suo viuat arbitratu; sed si sola, & innupta, ex qua soboles domui nostræ penè desertę, suscipienda esset, permanseris, impiè facis.*

Agn. *O mi pater, quid ex te audio? immo nihil me peius fieri posset, nisi vero sponso fidem seruarem. quid plura? intelligisne Prophetam dicentem: Vota mea domino reddam coram omni populo eius, pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius?*

Seia. *Intelligo.*

Agn. *Si intelligis, cur non me sinis æquo animo, quod voui Deo, persoluere?*

Seia. *Quoniam tu ita vis, nihil impedio.*

Agn. *Hac de re amo te plurimum. vis me domum reducere, mi pater? vaga, & otiosa sic esse non possum.*

Seia. *Satius erit, eamus.*

ACT

ACT. SECVNDVS
SCENA PRIMA.

Amantius.

Am. NIHIL fieri potest Agnete durius, nihil pertinacius. oraui, obsecraui, supplex petij, & flexo poplite dextro illam precatus fui, vt precibus meis, & petitioni iustæ satisfaceret. neque ab ea verbum vnum, quod gratum accidere posset hero meo, elicere potui. vixq; dulcia hæc verba protuli: res quædam est, ò pulcherrima Agnes, quam abste impetrare velim, siq; molestè non sis latura, narrare incipio; cum ipsa respondit, nisi tu quid iniustum a me petas, iniquè non feram. iusta namque vt ab iniustis petere insipientia est; sic iniusta a iustis impetrare nō decet. si de Præfecti filio, inquit illa, vis loqui: de ipso quidem, ego respondi, eloqui cupio, qui cum tui sit amore captus: non dum hæc verba pronunciaui, cum ipsa non parum indignata discessit. itaq; sic inanis, ac tristis redeo. quid responsi dabo?

SCE.

SCENA SECVNDA

Lepidus Amantius.

Lep. Salute plurima te impertio, Amãti, vt valet Agnes? quid amabò, respondit? me miserũ hiscere non audet, aliquid aportat mali. nõ nisi suspicionem affers mihi, tua taciturnitate.

Am. Quæ tam mala mens in hanc te suspicionem impellit? de me tam peruersè existimas? eho nondum nosti mores meos; verum, ne sis in mora, dicam vno verbo rem totam: non potest Agnes a pristina sententia seiungi.

Lepid. Ob id nolo cadere animo. hanc puellam his magnificis muneribus leniemus. anuli sunt hic nouem, vniones centum, torques quatuor, & monilia decem. dic, vt, quo mittuntur animo, accipiat.

Am. Spero fore, vt perfacilem, perexpeditam, & pergratam det responsionem. non est cunctandum, rectà eo.

Lepid. Quamprimum, si fieri potest, redito; ante fores ædium nostrarum te auidißimè expectabo. melius profectò esset millies mortem oppetere, quàm sic viuere; sic, inquam torqueri, sic vri, & sauciari. sed oĩa toleranda forent, si quam exopto, quæ mihi esset instar omnium, in qua omnis mea spes conquiesceret, vxorem ducerem. vtinam optatis meis fortuna respondeat.

SCENA TERTIA.

Vincentius. Serenus.

Vinc. VBi sumus?
Ser. In foro.
Vinc. Vbi nam Agnetis ædes?
Ser. Sunt illæ, quas aspicimus. noli me deterrere tuis vocibus, Herculem ipsum perterrefacceres.
Vinc. Vellem ingredi, si mihi per tempus liceret, nomine Præfecti, & Lepidi filij alloqui volo ipsius Agnetis Parentes. pulsa fores. admone famulos.
Ser. Lingua hæret metu.
Vinc. Cur trepidas? pulsa fores.
Ser. Heus heus. Præstantißimus, præclarißimus, & inuictissimus hic dominus Vincentius Antamenidis frater vellet quædam cum tuis dominis, Præfecti nomine, communicare.

Prandent nunc, dimidia hora cum lapsa fuerit, reuertimini, tunc aditus patebit.

Ser. Prandent nunc, volumus ingredi?
Vinc. Quid respondit?
Ser. Non est opportuna hora, prandent.
Vinc. Cur vis introire?
Ser. Vt nos etiam pranderemus.
Vinc. Helluo, non ne sumpsisti ientaculum?
Ser. Abdomini meo non sat est. esurio.
Vinc. Sile. expectemus in hoc foro, donec ab eodem famulo vocabimur. interim circumspice, an appareant

pareant

pareant viri illi sexcenti, quos modo in fugam conieci.

Ser. Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Vinc. Caueant sibi, ne deinceps in meas incidant manus, experirentur me, vt Barbari Pompeium. quid ais tu?

Ser. Vt Numantini Scipionem: quin, vt Iudæi Vespasianum, vt Herculem feræ.

Vinc. Quotus adhuc voluatur annus, cum orbem in in bellis gerendis peragrare cœpi, Mars testari potest: nam trigesimus instat. cunctæq; nationes tam nostræ, quā barbaræ confirmant, & expertæ sunt, quid valuerit meum consilium domi, quid foris arma. Quot a me cędes factæ, quot imperia truculentissima subegerim, quot etiam hoc meo gladio vita priuauerim, quantum hostium copiam dissipauerim, profligauerim, & membratim, conciderim,

Ser. Non dici potest.

Vinc. Si Cæsar ille dictator, Alexander Macedo, si Hercules, inquam, si Sampson, cęteriq; Martis alumni præclara, & nunquam reticenda facinora obierunt; & ipse quot viros bellicosissimos vulneribus affecerim, confoderim, transuerberauerim, & capite obtruncauerim,

Ser. Nulla esset lingua, quæ posset narrare.

Vinc. Quoties arma, quæ soleo aptissimè tractare, fortissimorum belli Ducum, & inuictissimorum Imperatorum cuiuscūq; magni exercitus sanguine manducerunt?

Ser. Immo tu plures milites catafractos occidisti, quàm ego pullos columbinos confeci, Collibistæ omnes numerare non possent.

Vinc. Quoties a me sica, telum, pugio, ensis lancea, scutum, arcus, & sagittæ, claua, & alia id genus arma de manibus hostium fuerunt erepta?

Ser. Ignorat nemo. Hisce oculis vidi sæpè, quæ narras; immo sunt multo maiora facinora, quàm tu refers. Dum tu dimicas, exitus bellorum non est incertus. quid sine tuo aspectu de bello fieret? sine tuis ictibus? absq; tuo consilio? absq; tua fortitudine? o si nunc velles aduersus Persas, & Indos hinc te conferre, nullus eorum reliquus fieret, atq; illarum regionum, tua magna cum laude, potireris. o si scirem arma tractare, vt ipse solitus es, cælum, vt dicitur, digito tangerem, & nemini in decertando concederem. Vis me docere aliquid, vt interdum tecum conserere manus possim, here mi?

Vinc. Edocebo, sed caue timeas.

Ser. Non timebo, gladium distringo meum.

Vinc. Nolo meum euaginare; si enim vellem tecum conserere manus, non vter gladio; sed baculo, sed virga, sed fuste.

Ser. Lapsa est hora prandendi, nemo nos vocat, vires me deficiunt, quid hic moramur? magna me fames inuasit.

Vinc. Tu semper ad ingenium redire soles. quid comedisti hodie mane? omnia, quæ tibi fuerunt

apposita.

apposita. ne quid nimis.

Ser. *Ne quid minus. frustulum vitulinæ assę, duos capos, dimidiam gallinam elixam, auiculas decem, & porcellum vnum tantummodo.*

Vinc. *Ecquid volebas explere dolium, non ventrem? & iam esuris? edax, edax.*

Ser. *Mi miles, mi miles, ingredere si vis.*

Vinc. *Non lubet. sapientis est mutare consilium. euaginato ensem, sic tractabis, vide, vt fit? obserua.*

Ser. *Nõ video, nec obseruo, allucinari iam incipio, serua integrũ hoc meum corpusculũ ficedulis.*

Vinc. *O te felicem, qui sub tanto duce militas, addiscas.*

Ser. *Sub quo milite?*

Vinc. *Sub me Vincentio.*

Ser. *Non ne ita fit?*

Miles erumpit, viso camini purgatore.

SCENA QVARTA.

Camini purgator. Intestinorum venditor. Serenus.

Cam. *O Qui vult purgari caminum. a me qui vult purgari caminum.*

Intest. *Intestina, intestina. qui vult emere intestina? capitula vitulina, & suinos pedes.*

Ser. *Vbi miles? excessit, euasit, erupit.*

Intest. *quid ad nos? Vis mercari rẽ totã? paruo emes.*

Ser. *Vis mihi dono dare? Zonam perdidi.*
Intest. *Donatus obijt, non comedes huius carnis bolos.*
Cam. *Suum a me caminum repurgandum quis curat? det mihi x v. quadrantes, & ego à lare, ad summum, hoc meo longurio siligine purgabo.*
Intest. *Quo te pedes? non me vides?*
Cam. *Quid ais nebulo?*
Intest. *Nebulo es tu, ridiculum caput.*
Cam. *Mentiris. referto pedem.*
Intest. *Ah scelesse, sic me inuadis? in ius te voco.*
Ser. *Quæ nam contentiones inter vos? sine me colligere ista frustula carnis.*
Intest. *Estote testes, volo adire iudicem, & cum illo querelarum agere, estote testes.*
Ser. *Ha ha he. illi cedidit venuste. o Camini purgator, antequam satellites accedant, concedamus.*
Cam. *Est ne vllus, qui velit purgari caminum? siliginem totam hoc meo vnco abradam.*
Ser. *Heus, vis venire mecum in cauponam?*
Cam. *Nummi desunt.*
Ser. *Si nummi, fames nunquam deest. eò, si vis, cõtendamus quam celerrime.*
Cam. *Micemus inter nos, cui obtigerit numeratam soluere pecuniam.*
Ser. *Ludamus par, impar: hoc ludo solum ludo.*
Cam. *Sponsionem vinceres. nihil attinet, nos hic ludere. illuc eamus.*
Ser. *Quo mecumq; rapit tempestas deferor hospes.*
Hospes. Heus heus, ingredimini, vbi dux Vincentius?

Terga

Ser. Terga dedit, hoc viso longurio.
Cam. Quæ domus est ista? caupona forte?
Ser. Sunt ædes Agnetis, ingrediamur, edendo famem explebimus.

SCENA QVINTA.

Vrbanus. Oriens. Scipio.

Vrb. Mihi videris, o Oriens, a recto discedere, dum tu, qui philosophus es, de aula detrahis, & aulicorum gloriam, ac splendorem despicis.

Or. Immo nihil est aula peius, ipsisq; aulicis fallacius.

Scipio. Immo dignus es, cui nulla fides habeatur.

Or. Non ne sunt in aula hæc mala? multum doloris oculi hauriunt: plurima, quæ displicent, audiuntur: multoties, donec plerumq; noctis processerit, æstiuis diebus expectanda cæna; sæpe prandendum, cænandumq; simul: malè cocta, frigidà, insulsaq; compelleris edere: aliquando ante lucem ortam, nisi velis nimiũ diũ esurire, sumenda esca: In meridie prandendũ sæpißimè; post horam ferè cenandum. quid enim certo, ac suo tempore fit in aula?

Vrb. Bona verba quæso. fac probes, quæ dicis, vt ipse, reuera tibi probabo, nihil fieri posse aula melius, nihilq; ipsis aulicis firmius, & constantius.

Or. Quid respondes, o Scipio? quoties in aula vinum bibisti corruptum, & sitiens bibisti poculum, quod per multorum manus transiuit, prius, quàm adte venerit? quoties etiam (audi, audi, Vrbane) carnes edisti frigidas, immundas, foetentes? diebus verò pisculentis, legumina semicocta, olus inconditum, & pisces paratos ante quatriduum?

Vrb. Vah, qui falsa refers. nihil horum, quæ dicis, adhuc sum expertus.

Scip. Nec unquam istæc mihi obtigerunt. o philosophe, detrahas qnantum libet, nolo Præfecti aulam destrere. non ne tu quoq; aulicus es? nisi nunc Præfectus noster honorifico te stipendio apud se retineret, quid ageres? lauta tibi, & munda suo tempore apponuntur. siq;, vt fertur, equus te portat, alit Rex, quid conqueris?

Vrb. Iste cibario pane vesci solitus erat, & inter pecudes versari, mirum non est, si nobis aduersatur. vtrem mergimus vento plenum.

Scip. Differe tu cum philosopho, me Amantius ante fores ædium nostrarum expectat, ad illum vestra bona cum venia me recipio.

Ori. Referas tu tuas probandi, quæ dicis, rationes; & ego, quas in promptu habeo, audacter pronunciabo.

Vrb. Percipe. iam scis, quãta inter ministros Principum varietas, quantaq; nominis auctoritas, loci, munerisq; fama, & verborum decus. quoties

ties vidisti in aula ab vno ad alium, ab inferiore ad superiorem, ab infimo ad summum ascendi? sæpissimè.

Ori. Quo ad maiores honoris gradus peruenitur eò vehementius oppugnari, & obsisti solet. o quàm illi sæpè sunt dolori, & timori. nunc letitiis inceditis. at non semper lilia florent.

Vrb. Nihil peius, quàm vincere pertinaces. aliud est philosophari, crede mihi, aliud in aula viuere.

Or. Difficile est philosopho puluerem oculis offundere. scio quid distent æra lupinis.

Vrb. Ha ha he. Corui luscinijs honoratiores.

SCENA SEXTA.

Fabiolus. Oriens. Vrbanus.

Fab. Sanè quàm admirari satis non possum. ecquis vnquam sibi persuasisset Orientem nostræ ætatis Philosophum facilè Principẽ, hac hora studendi, hoc in loco, cum hoc homine, hoc tempus conterere in colloquijs eiusmodi?

Ori. Huiusmodi. quid, quod? ego sum Oriens, quid obloqueris de illo? quasi sus cõtra Cecropiam.

Fab. Cecropia non sum. tu Sus: ego Fabiolus in Vrbe natus.

Ori. Cani das paleas, asino ossa, Fabiole. Sus profectò Mineruã docet. si Romanus es; quid ad me?

Hic

Hic egreditur quidam famulus, & reddit litteras Vrbano, qui resignat eas, & simulat legere, dum Puer, & Philosophus loquuntur.

Fab. *Tua permagni interest scire, cuias ipse sim: huc enim veni missus a domino meo, vt me puerum tua eleganti Vrbanitate excipias, & quid sit sapere, doceas.*

Ori. *Tu me illudis, puerule? difficile est dare verba seni.*

Fab. *Non, scilicet. constituas mihi horam, qua te reuisam. dabo tibi operam sedulam, & non nisi quæ tibi sint honori, atq; vtilitati, ex hoc poterunt emanare. labores tui a Præfecto nostro satis liberaliter compensabuntur.*

Ori. *Hoc mihi nimirum persuaderem, si filius quoq; nostri Principis Philosophiam edoceri vellet. quotum annum agit?*

Fab. *Quartum, & decimum; sed non adhuc artem Grammaticæ callet: ego vero latina lingua iam potitus fui, cum qua græcam coniunxi, quid tibi videtur?*

Ori *Tibi quod M. Tullius filio, respondebo, latinam linguam efficies pleniorem. De Præfecti filio quid fit? cur non litteris, vt par erat, imbutus fuit? enimuero fefellit opinionem meam.*

Fab. *Quia est cuiusdam puellæ Agnetis amore captus. non comedit, non bibit, non dormit, non ambulat, non studet, nec aliquid aliud agit, quin de illa cogitet.*

Ori. *Vnde hoc scis Fabiole?*

Ex

Fab. Ex Amantio audiui sæpe, ex Vincentio milite sæpissimè.

Ori. Omnia plena rimarum. qui fieri potest, vt ambo tibi talia crediderint consilia?

Fab. Quid tum? non mendaci crediderunt. vinum, & pueri (sic adagio fertur) sunt veraces.

Ori. Immo nimium loquaces. isthæc omittas. ergo Lepidus amore flagrat? iam perijt.

Fab. Non est sui iuris. at studia requirunt hominem curis omnibus liberum, ac solutum, vt probè tenes: quomodo vis ab eo percipiantur litteræ?

Ori. Pater Agnetis est mihi veteri familiaritate coniunctus, mecumq; sæpe communicauit filiam suam diuino cultui se totam emancipasse, velleq; prius mortem obire, quàm virum ducere mortalem. itaq; prorsus admiror, ac molestè fero nobilißimũ Præfecti Vrbis filiũ in amanda puella, quam vxorem nunquam ducet, consumere sic annos in liberalibus disciplinis transigendos. caue tu quoq;, ne per otium malorum sentinam idipsum facias. is feliciter sapit, qui alieno periculo sapit. equidem conabor, pro virili, filio Lepido penè perdito meis consilijs opem ferre; quamuis difficulter vitia tollantur tam vsu, & consuetudine recepta.

Fab. Non te audiet Lepidus. noui eius ingenium, si Patris imperium detrectat, quo pacto vis tibi ab illo auscultari?

Vrb. Satis prolocuti estis, quid hic tandiũ moraris puer? Vrbis Præfectus noster fortasse domo e-

gredietur,

grędietur, cæteri comitabuntur; solus ipse abe- ris. caue tibi, haud prædictum ne dicas. non ne, si bene memini, Æconomus edixit, ad ipsũ horæ articulum, si, cum dominus pedem effer- re voluerit, non ad fuerint pueri, pœnas ab eis dependendas? si vis flagris feruere, quam- diu lubet hic esto.

Frb. Acersitum veni dominum Orientem. vide, vi- de quàm sit modestus, quàm grauis, quàm se- verus, quàm comis, ipsam prę se fert sapien- tiam.

Vrb. Quid non eum appellas? quid cunctaris?

Fab. Penè exciderat e mente: tres horæ sunt, eoq; amplius, cũ id mihi demandatum fuit. sed in forum cupedinis iui ad emenda bellaria, quæ dono darem Orienti, ex cuius ore melle dul- cior flueret oratio.

Vrb. Quid eget bellarijs Philosophus? ipse Oriens dulcis est suapte natura; licet hoc non omnibus accidat senibus.

Fab. Repuerascit ipse. idcirco attuli.

Vrb. O callidule, vis mihi dare verba? cęteris om- mißis, Orienti referas quod tibi demandatum fuit.

Fab. O domine philosophe, siue philosophaster, te vo- cat Princeps, qui vocaris tu? sum oblitus.

Ori. Abscede hinc. oblitus es mei? Oriens ipse vo- cor.

Fab. Oriens orientis, quo modo format accusandi casum?

Istuc

Ori. *Istuc a me exquiris? quid in scholis egisti?*
Fab. *Princeps vocat dominum?*
Ori. *Orientem.*
Fab. *Te iuxta bibliotecam expectat.*
Ori. *Quamdiu est, cum adme missus fuisti?*
Fab. *Duæ sunt horę.*
Vrb. *Mentitur, & mihi dixit, amplius tres horæ. vt me iste puer vaferrimus, nisi mihi penitus esset notus, oneraret mendacijs?*
Fab. *Mentiri non soleo. ipsam colo veritatem.*
Vrb. *O calliditatem maximam. vt fingit? vt simulat?*
Ori. *Eamus, ne Principi tanta mora sit admirationi. stultorum magister est euentus.*
Vrb. *Ecce qui vapulabit.*
Fab. *Nihil minus timeo. te floccifacio: habeo, qui me seruabunt illęsum.*
Ori. *Quos?*
Fab. *Pedes, quibus potissimum valeo.*
Ori. *Vrbane, intercipiamus istum puerum, & ad Vrbis Præfectum adducamus. siste gradum puer, heus heus.*
Fab. *ha ha ha he. ducetis me, scilicet.*
Vrb. *Ne diutius hic moremur: ista congresio minus habet dignitatis.*
Ori. *Aspice illum. nos irridet.*
Vrb. *Sine illum abire, puer est, puerilia agit.*
Ori. *Non impunè abibit.*

SCENA SEPTIMA.

Scipio. Amantius, Laurentiolus.

Scip. NOluit ipsa torques! anulos recusauit! totumq; munus respuit!

Am. Ecce hic puer. omnia vidit. eundem adhibeo testem.

Laur. Immo ne aspexit quidem.

Am. Commodum dixi: salutare te iubeo, mea domina Agnes, Lepidi nomine, qui torques, anulos, monilia, & hæc alia tibi dono mittit, cùm rabiosiola pedem retulit.

Laur Quin etiam iniquißimo animo tulit. equidem alloqui cupio Lepidum, vbi manet?

Scip. Domi; paullo ante præstolabatur Amantium ante fores. expecta paulisper, aliquid noui afferam. ecce Lepidus noster herus iam egreditur.

SCENA OCTAVA.

Amantius. Lepidus. Laurentiolus.

Am. SAlue, domine, recusauit omnia. hic puer testari potest.

Lepid. Si recusat aurum, afferto illi gemmas, & margaritas. accipe. dedi vestes Vincentio militi sumptuosißimas ad eandem, nec etiam accipere voluit. si munus hoc illi non accidat gratum,

actum

actum est.

Am. *Quid ita vis contemnat?*

Scip. *Animaduertam, si accipiat, quid responderit. & referam.*

Laur. *Ego quoq; auidissimis auribus astabo. præcurram, quo facilius Agnetem alloquamini. tibi manus exosculor, domine Lepide, fac bono sis animo.*

Am. *Si res ceciderit, vt cupimus, o quàm feliciter nobiscum ageretur? bonis eamus auibus.*

Lep. *Comitamini me prius, quàm hinc proficiscamini. vereor ne Præfectus pater me sic errabundum offendat. venias tu Scipio. Amanti expecta illum mox reuersurum.*

Am. *Non discedam. faxint Dij, vt hæc munera læto animo accipiantur: aliquando ditescerem, & omnibus lætitijs incederem.*

Scip. *Ecce egreditur Præfectus, hinc aliò nos recipiamus.*

Am. *Ad Agnetem? eamus. sed eccum video Laurentiolum ad fores.*

Scip. *Egreditur quoq; Seianus, accelleremus gradum.*

SCENA NONA.

Seianus. Metella. Agnes. Nutrix.

Seia. *GRatias vobis ago, Dij immortales, filiam suscepi ex Metella vxore mea sic honestam,*

tam, & suauitatibus ijs refertam, vt nihil supra; sed cur non vis, o filia mea, nobis Parentibus assentiri? nihil gratius esset, quàm si Præfecti filio nuberes.

Metel. *Nisi nubas ei, scias inter Virgines Vestales vitam tibi traducendam esse. sic iubet Vrbis Præfectus.*

Agn. *O mater, si scires donum, quod mihi meus cęlestis parauit Sponsus, non alium quęreres mihi sponsum.*

Metel. *Cui nam desponsata es, me insciente? id primum ex te audio.*

Agn. *Præpotenti, & vnigenito Dei filio, mater.*

Metel. *Quò te munere poterit ornare?*

Agn. *Cælestibus diuitijs, & æternæ vitę præmijs.*

SCENA DECIMA.

Seianus. Metella. Agnes. Simphronius, & Aulici.

Seia. *SAlue, Vrbis decus, Capitolinæ arcis præsidium, atq; ornamentum. quid noui? nunquam aliàs te in medio foro vidi, hac hora, nisi cum vrgeret necessitas, vnde fit? salue iterum digna corona.*

Simph. *Te quoq;, mi Seiane saluere iubeo. me scito cõtinere nõ potuisse, quin recta ad te venerim. veni filij precibus adductus. lætor igitur, quod mihi sis obuiam factus. Nihil porrò peßu agere me-*

re melius hac hora, nec quod filius meus magis optet, quàm tibi persuadeam, vt ei filiam Agnetem in matrimonium tradas.

Seia. *Per me non stat, prçcellentissime Domine. domum totam, opes, meq; ipsum habes, ad omnia vtaris licet; sed filiam neq; polliceor, neq; defero.*

Simph. *Si seriò cum illa ageres, & hanc tam dignam filij conditionẽ offeres, illa forsan non recusaret.*

Seia. *Hanc si tecum affinitatem contrahere liceret, viderer mihi Deorum omnium iniisse gratiam. Nihil herclè mihi prius esset, quam eam apud te locare. vt hoc mihi ex animi sententia cadat, omnino curabo.*

Simph. *Si tibi in amoribus est filia; & mihi oculissimus est filius. quæso, si fieri potest, mihi quam primum, & filio satisfacias.*

Seia. *Audis, filia? fac illi assentiaris, & a me quçcunque vis, expecta. non fallam opinionem tuam.*

Simph. *Puella, dic, amabò, vis filium meum accipepere? o te beatam, si hanc mecum affinitatem contraxeris.*

Agn. *A fide Christo data nunquam deficiam: aliò, dic filio tuo, vt animum appellat.*

Metel. *O filia, ne sis tam pertinaci sententia: conditionem accipe nobis oblatam.*

Simph. *Quem alium tibi sponsum elegisti?*

Agn. *Christum Dominum. sed in illum nisi credas, pluribus tecum vti non possum.*

D Iam

berus noster, quod vehementer optauit, habere possit; & ob id inanes sint cogitationes, quę ad eam dirigantur, ac stulta consilia.

Scip. Hoc tibi persuade, nihil esse leuius muliere; nihil contra obstinatius. aliò animum dirigeret berus noster, cupio; & his amoris laqueis eximeret se, peruelim. id, quod ego, qui neruos illius ingenij bene cognitos habeo, prorsus ita fore spero.

Am. Sola ipse Agnes in pristinam libertatem vindicare Lepidum valet. quamnam video? ecce ipsa adest.

Scip. Sileamus, & obseruemus.

SCENA SECVNDA.

Agnes. Nutrix. Amantius. Scipio.

Agn. Sit Christo gratia. mea cum animi iucunditate, ac spiritali dulcedine sacrum audiui. & Christi passionem animo volui. tu quid egisti in illo sacrificio?

Nutr. Meditata sum Christi mortem, quam pro mundi redemptione satis acerbam, & ignominiosam sustinuit. numeraui quoq; praculas, & pro defunctorum animabus oraui.

Am. Ambæ sunt Christianæ, loquuntur de Missæ sacrificio.

Scip. Ne quæso interpellemus eas. audiamus.

Am. Accersitum ibo Lepidum. sile Scipio, hic me

præstolare.

Scip. Tecum cogito, non enim mihi hic diutius morandum est, ne sic otiosum offendat me Dominus. i pretesequor. Valete animulæ.

Agn. Qua transibimus, Nutrix, quo maturius Domum perueniamus?

Nut. Dextrorsum.

SCENA TERTIA.

Amantius. Lepidus. Agnes. Nutrix.

Am. ASpice tuam pulcherrimam Agnetem, tanquam Hesperum inter sydera.

Lepid. Salue mea lux, desiderium meum, quo progrederis?

Agn. Domum versus. quid ad te?

Lep. Mea multum refert scire, quo cogites, & quid agas,

Agn. Beneualeo, & ad cælestem Hierosolymam vt Christiana cogito, & aspiro.

Lep. Et ipse quicquid valeo, tibi valeo. Audi me supplicem, rogo te. Iam diu est, cum tam dignum optaui congressum, quo melius exponerem tibi consilia mea: quando neq; nuncij, neq; litteræ, neq; munera profuerũt. iterum etiam, atq; etiam rogo te, vt quemadmodum congressus hic noster mihi dulcis est, ac suauis; ita responsio tua nunc non accidat iniucunda.

Agn. Cur me tot molestijs crucias? quid ame quæris?

Vt

Lep. *Vt ad meam te voluntatem accommodes.*

Agn. *Iam tibi sexcenties per tuos famulos animum indicaui meum. obire malo, quàm tuis petitionibus, ac precibus locum relinquam.*

Lep. *O dulcis Agnes, inducas animum, quàm dignissimos esse Matrimonij fructus, qui mutuo ex amore colliguntur (nisi velis me audire) postea noueris ęquitatē petitionis meę, obidq; forsam his precibus locum relinques.*

SCENA QVARTA.

Lepidus. Agnes. Nuntius. Vrbanus. Amantius.

Vrb. *SAluete suauissimi adoloscentiæ flores. quid fiet vobis fortunatius, nūc si a vobis eandem collegero sententiam? si felicem nuncium affero, qua mercede compensabor?*

Lep. *Tibi maria, & montes quot haberem, pollicerer, ac deferrem. omnia namq; tua caussa volo, & quodcunq; possideo, totum erit in ære tuo.*

Vrb. *Non sum homo antiquus, cui polliceri debeas maria, & montes. iniisse gratiam apud vos, mihiq; vestram beneuolentiam conciliasse, sat erit. Hodie scitote inter Parentes vestros convenisse, dummodo vos assentiamini, & (vt spero) cito fient nuptiæ.*

Lep. *Dij quamprimum approbent, acquiesco, & assentior. efferor gaudio.*

Agn. Nunquam patiar me seiungi a Christo sponso, cui dum assentior, tuta sum, intacta, & virgo illæsa. veh mihi, si tuam sequerer sententiam, aut cuilibet mortali viro assentirem.

Lep. Vis ergo pati, tantam venustatem, tam egregiam formam, tamq; miram corporis elegantiam sine prolis fructibus consenescere? ab ne sis tam inexorabilis.

Agn. Iam nihil est, quod mihi persuadeas, vt quæ parentes, tuq; inprimis exoptas, approbem. illud solum affirmo nihil esse dignius, præclarius, tutius, laudabilius, & vtilius, quàm Deo virginitatem seruare. idcirco discede a me, qui alia cogitas, alia petis, alia mones.

Vrb. Longum vale tibi dico Agnes. o Lepide, dum precibus cum illa agis, aquam e pumice postulas. hinc me domum recipio.

Lep. Mei te saltem, Agnes, misereat, qui tantis vror flammis, tot amoris penas perfero.

Agn. Vis me contra iustum, rectūq; propositum meum, tuis cupiditatibus obsequi? longe sit a me quodcunq; posset Deum, vel leuissimè offendere. Ego autem, (animaduerte quę tibi sū breuiter dictura) sponsum duxi cęlestem: tu terrenus, & corruptibilis. Christum habeo Deū, & hominē, qui de pura virgine nasci dignatus est, ac pro humani generis redemptione, nostraq; salute, sęuissima tormenta, ignominiosam, diramq; crucis mortem sustinere; cumq; tertia luce, vt dixit, victor de morte triumphans sur-

ſurrexiſſet, ad Cęlos aſcendit, vbi ad Patris dexteram in excelſo, ſempiternoq; ſanctiſſimę Trinitatis Throno ſedens regnat, & extremo iudicij die viuos, vitaq; functos iudicaturus, & ęquis pręmium; iniquis autem pœnam daturus, iterum deſcendet. Tu vilis homo natus de muliere, de corruptione, breui tempore ſuperſtes futurus, extollis potentiam tuam? ac te ipſum effers, morti, ſepulchro, vermibus, putredini, ęterniſq; obnoxium ſupplicijs? noſce, noſce teipſũ, deficias ab iſta falſę religionis impietate, des nomen in Chriſti militiam, ſit fides tua ſponſa, & ſoror caſtitas. Rogo Deum, vt aliam tibi mentem elargiatur, quę ſit non cum rebus fluxis, atq; illecebris mortalis huius vitę; ſed ęterna cum gloria, & catholica Eccleſia Chriſti fidelium matre coniuncta. Hęc accipe, quę dixi, & perfice: alioquin, ęternis cruciatibus damnaberis. Nutrix, eamus.

Lep. Niſi quis caſus meis conſilijs occurrat, diutius viuere nõ poſſum. facta, tranſacta omnia. conſcire mihi mortem hoc meo pugione volo.

Am. heu, noli te interficere? quid mali eſt, hære mi? quid vis tua cauſſa præſtem? ecce adſum. tuum eſt imperare. vis te reducam?

Lep. Ita vero. iam febris me tenet, vix poſſum ſtare, iam totus horreo, & contremiſco.

Am. Vis vehi curriculo, an equo?

Lep. Si rheda nunc eſſet parata, veherer, ſed hic diutius manere nõ valeo, progrediamur. o ina-

nes meas cogitationes.

Am. Nihil timoris habeas. fac animo forti, magnoq; sis.

SCENA QVINTA.

Scipio. Serenus.

Scip. Miles tuus aiebat sibi oblatam a Parentibus Agnetem? nuptiæ fient ad Kalendas græcas.

Ser. Hoc sibi arrogabat ille mendax, ille (præfafato honore) Orlandi crepitus, & Martis leno. Qui pater familias esset? ha ha he. ducet vxorem, cum mea mula pariet. sed omisso ioco, si illum offendo, non modo, non salutabo; verum hoc meo cultello illi, aut nasum, aut auriculam præcidere volo. bonus vir nusquam apparet.

Scip. Si fuisti ab eo lacessitus iniuria, poteris illam iurè propulsare.

Ser. Propulsata iniuria, & milite interfecto, vereor ne me quoq; fames necet. si eundem seruo illæsum, & impunè abire patiar; irruet in me, atq; impetum faciet. lupum auribus teneo.

Scip. Quænam est potissima ratio, quamobrem sequi non vis amplius militem?

Ser. Præterquam quod mendax, timidus, & inanis est; auarus etiam talis est, vt ex qualibet re turpe lucrũ faciat. dumq; illi meretrices emungunt,

gunt, & lusus exhauriunt pecuniam, vt illatum damnum resarciat, caõtur me reddere, vt strigosum sturnum. O vtinam Agnes Lepido nubat: reficerem in illis nuptijs vires edendo, & animum bibendo exhilararem.

Scip. Te nunc planè exhilaratum video. incidisti forte in vinolentiam? cur ista de die vteris lanterna? vis tu alterum referre Diogenem?

Ser. Bene dilutum poto vinum. quid ais? æbrium me deputas? mala mens, malus animus.

Scip. Veritas odium; vt obsequium amicos, parit.

Ser. Lanterna vtor ad quæritandum ignauissimum herum non amplius meum.

Scip. Cur non amplius tuum?

Ser. Cętera nosti. hcc vnum addo, quod caput est. Miles a me pecuniam vt extorqueat, ait a se de suo me non amplius ali posse. pœnus omne clauibus commissit. ob id, etiam hoc lumine vtor; quia non aspicio, lippiunt fauces fame. quæsiui illum in cubiculis obscuris, & in quibusdam cauernis, vbi dicebatur a camini purgatore deterritus delitescere. veh illi, si vsquam inuenio. tam perijsset, vt dicitur, quàm extrema faba.

SCENA SEXTA.

Vrbanus. Scipio. Serenus.

Vrb. QVid noui de Sereno? expectat illum Lepidus

pidus ægrotans, vellet eius dicta, & lepores regustare.

Scip. Non agnoscis eundem?

Vrb. Salue Serene; si modo Serenus.

Ser. Fui Serenus, idemq; sum; sed iratus.

Scip. Iucunda est rerum vicissitudo.

Vrb. Suum militem persequitur?

Scip. Persequitur, vt assequatur, inuadat, & vt suem, iugulet.

Vrb. Cur persequeris tantum ducem? nonne apud Præfectum gratia, & auctoritate plurimum valet?

Ser. Nescit vox missa reuerti.

Vrb. Ecquid, tuam miles fefellit opinionem?

Ser. Itast; sed fallacia alia aliam trudet.

Scip. Quid asseritis? Vincētius in Vrbe cæteris virtute præstat, nihilq; timet: immo maiorem hostibus terrorem, & metum incutere solet, Ser. quam Tamburlanus ille Scytharum Imperator. ha ha he. suam ipsius vmbram timet.

Scip. Superat omnes audacia miles, qui non fraudulentus esse dicitur, non ignauus, non auarus, non rapax, non ignominiosus; verum ipsam veritatem colere, omnes in Vrbe prestare, cum animi fortitudine; tum fama, & existimatione: quin esse bellus, comis, ac munificus, vt Cæsar alter. id omnes affirmant.

Ser. Id omnes negant. si tot exercet virtutes, præclariq; Ducis tot munera præstat miles; huic cito ponderi succumbet. boui namq; clitellæ impositæ

positæ sunt. de milite satis. Hæc suo lanterna caret lumine. emungenda est candela, & meus hic gladius acuendus.

Vrb. *Quot viros isto gladio interfecisti?*

Ser. *Nisi hebes fuißet, plures triginta, vno ictu transuerberaßem. quot iam tetigi, tot confeci, & concoxi.*

Scip. *Quot vno ictu?*

Ser. *Amplius triginta bolorum. ha ha he.*

Vrb. *Tractant (vt vulgo fertur) fabrilia fabri.*

Scip. *Si parasito, Vrbane, vicinus habitaueris, & ipse parasitari disces. Serenus hic (sit venia dicto) mures cum pilis, & asinabus quinq; si essent in lancibus apposita, capita comederet. semper enim illius est in patinis animus.*

Ser. *Homo interdũ homini lupus, caue ne te quoq;, vt hodie mane pullũ, quatuor bolis deglutiam.*

Vrb. *Illi bilem in nasum coniecisti, Scipio. noli crabrones irritare.*

Scip. *Parebo libens.*

Ser. *Et ego cœnarem libentißimè. omnia obliuiscor, in gratiam redeo. ha ha he.*

Vrb. *Caue risu corruas.*

SCENA SEPTIMA.

Vincentius. Scipio. Vrbanus. Serenus.

Vinc. *NVlla est via, qua non transierim, ex quo legionẽ illã in agro Sabino diffiaui, quasi ventus*

ventus folia, & Bombomachidi Neptunni nepoti pugno brachium præfregi. Stratopanem si offendo, faciam, vt hic formicæ frustratim eum differant. omnes de via decedite: nemo tam audax in hoc sit foro, qui obuiam obsistat mihi: polego illum ita conteram, vt atrior multo sit, quam Egyptij. qua soleo arces, & oppida expugnare, hodie iracundia eadem exiui. Quisnam ex inuidis meis in me incidat? hoc dextro pede sublimem ferre volo. Dete quid fiet misello Sereno? mihi te audes iratum fateri? referes a me, per hanc dexteram iuro, crurifragium. tibi vt cædam? sed Aquila non captat muscas. heus aperiatur mihi ianua.

Obstrepuere fores, quis ad ostium?

Vinc. *Vincentius ipse sum Pergopolynicis Nepos, negotia præmanibus habeo conficienda. Seianum alloqui volo.*

iam se tradidit, a prandio, quieti.

Vinc. *Resera quamprimum; totum, quod volo, celerius opinione conficiam. excita herum a sommo, & referas hic me adesse: non vereor, quin mihi obuiam procedat.*

Scip. *O Serene quid agis? non vides herum non amplius tuum?*

Ser. *Quem hic video? miles descende mecum in arenam, conserere tecum manus volo.*

Vrb. *Iam se fuge commissit.*

Scip. *A Marte ad Mercurium.*

Ser. *Heu fuges crudeles terras.*

O igno-

Scip. *O ignominiam sæculis omnibus vituperandam. ille miles, qui cicatrices ostentabat, hic reliquit pallium, & ensem?*

Vrb. *Sibimetipsi fuga consuluit.*

Ser. *Ille fugiendo mihi excitauit palatũ. ha ha he.*

Scip. *Adeamus Præfectum, & ad illum perferamus incredibilem Vincentij virtutem, & fortudinem esse.*

Ser. *Ignauiam scilicet, formidinemq; fuisse. eamus, in popina me continebo.*

Vrb. *Sequere tu quoq; Serene.*

Ser. *Non possum ascendere limina, ilia duco. a cibo, & potione, veniam.*

Scip. *Venias, o Serene, ducam te in cellam pœnariam, & vinariam.*

Vrb. *Comitare nos; in lætitia, & dapibus epulabimur.*

Ser. *Ecce me ad omnia paratum. ecce dentes, lingua, palatum, fauces, abdomen, & manus, & fames. reliquum est, vt colligam pallium domini non amplius mei, quo vendito, cauponam, sub cænę tempus, visitare possim. itane?*

Vrb. *Tu quidem sapis.*

Scip. *Hem non vides iterum Trasonem tuum?*

Ser. *Ain tu? obseruabat profectò nos, vel vt suum, a discessu nostro; colligeret pallium, vel vt in satellitum custodiam, tanquam fures, nos traderet. sed eccum pannis obsitum, timore perterritum, armorum ducem, intercipiamus. & ad flagrum cras manè depromẽdum curemus.*

Heu

Vinc. Heu, tres in vnum impetum faciunt? quid insidiarum parastis? cauete, ne per errorem trucidetis me, sum Vincentius.

Ser. Vincentius igitur exibiletur.

Scip. Conuiciis, & clamoribus eum consectemur.

Vrb. Explodatur miles.

Scr. O o. phu. oi, o praeclarum militiae ducem. o o. ha ha he.

ACT. QVARTVS

SCENA PRIMA.

Simphronius. Oriens. Fabiolus. Aulici.

Simp. ACERSITVM eas Medicum, Fabiole?

Fab. Quem? Hippocritum, an Fulgentium?

Simp. Voca Fulgentium, & ducas illum, in penetralia aedium nostrarum, vbi febri iactatus iacet Lepidus meus. mox ipse quoq; adero, quo melius morbi causam a Medico intelligam.

Fab. Ibo celeri gradu.

Simp. Perculit me grauiter, o mi Oriens, hic haud opinatus euentus, in hancq; , subitò febrim incidit, ex quo audiuit Agnetem nolle nubere.

Nihil

Ori. *Nihil est igitur Vrbis Præfecte, cur dubites de filio tuo. dato illi, si fieri potest, in matrimonium Agnetem, & erit morbo statim leuatus. nota est mihi (licet sim philosophus; non medicus) talis ægritudinis caußa.*

Simp. *Hæc nimirum coniunctio si prodesset ægroto. omnem, vt dicitur, lapidem, mouerem, vt mihi Seianus, & Agnes filia libenter satisfacerent.*

Or. *Ego quoque cum illis agerem; sed scio, si de ista affinitate loquor, vndis me concionaturum.*

Simp. *Quidnam aiunt de me? deq; filio meo? scisne caussam, quamobrem Agnes a pristina nolit sententia discedere?*

Or. *Fieri non potest, vt aliud sentiat ipsa, quàm se Virginem, & sponsam esse Christo dicatam.*

Simp. *Est ne forte Christiana?*

Or. *Ita aiunt. iam extant signa, & eius oratio testatur.*

Simp. *Hoc si verum esse compertero, quam primum illam in vincula coniiciendam curabo: nisiq; a fide defecerit, & meo filio, velit, nolit, nubat; inter Vestales; immo, inter scorta, vt agat vitam, imperabo. Sed his omissis, verum est, interdum febrim exoriri ex amore?*

Or. *Ex amore: quo morbo ferè laborant ii, qui suis cupiditatibus indulgent.*

Simp. *Nimia profectò licentia deterior factus est filius meus, qui, si mihi contigerit, vt bene-*

ualeat, liberalibus eum disciplinis tibi excolendum tradam. Interim conueniamus Agnetis Patrem, & ab eo exquiramus omnino, quid sentiat filia. sed satius erit, vt eundem Seianum accersendum curem, & in ædes me conferam ad ægrotantem natum.

Or. *Facilius esset æthiopem dealbare, vel Cygnum nigrum reddere, quàm Agnetis propositum immutare.*

Simp. *Eam igitur nunc iubeo in vincula conijci. heus, admoneas Iudicem Aspasium, introeamus.*

Or. *Ne quæso hanc Seiani familiaris mei filiam, quæ forma corporis est eximia, & animi pulchritudine multò præstantior, in vincula conijci permittas.*

SCENA SECVNDA.

Fabiolus. Fulgentius.

Fab. *QVò se contulit dominus meus? diutius hic fortasse suspensum expectatione illum tenui; sed mea id non accidit culpa. Medicus prandebat, non potui statim eum deducere. Verum quia sum puer, peracerba verberatione multabor; & quod peius, non me post hac dominus de suo alet: immo e conspectu suo fugabit. me perditum. si afferam excusationem, non accipiet: si fabor verum, omnes a mendacio contra veritatem stabunt, vt vapulem.*

aqua mihi hæret. nescio quid aliud agere, nisi Medico præstolari. sed eccum video togatum virum. Fulgentius ipse est.

Ful. Vocauit me Fabiolus, Præfecti nomine, cuius mœrorem, ægrotante filio Lepido, mihi narrauit. illi præsto esse volo, medicinam facere, atq; aliquod opportunum solamen afferre. Quisnam est in hoc foro puer? est Fabiolus: non dum ad ædes peruenisti? abscede hinc, referas ad herum tuum illius ad ædes conferre se Medicum.

Fab. Qui vocaris?

Ful. Mihi est nomen Fulgentius. hei non recordaris? caue ne te capiat obliuio tui; tu nanq; morem antiquum, & ingenium obtines: magis de ludo, de solatijs, de iocis, de nugis, quàm de teipso cogitas.

Fab. Ecquid fortè cogitare debeo de orbe terrarum sub imperium subigendo, vt Alexander Macedo?

Ful. Adnola: sin autem, œconomum admonebo, & rogabo, vt loris te cedat.

Fab. OEconomus in improbos famulos animaduertere solet; sed in me, qui sum probus, non erit nisi benignus, non me cedet.

Ful. Tu periculũ facies, tantæ moræ pœnas dabis.

Fab. Dij vertant bene.

Ful. Triennium elapsum est, nisi quid erro, ex quo in aula moror. multa vidi, audiui, tacui: sic decet aulicum, si pace frui velit. sed illud re-

ticere nequeo, nimium esse Simphronium indulgentem in filium; idcirco deterior ipse factus, a nullo vult sibi consilium dari.

SCENA TERTIA.

Isaacus Iudæus. Fulgentius.

Isaac. O *Qui vult emere scruta. est ne vllus, qui velit emere hunc sagum? sunt hic etiam femoralia quædam, indusia, cruralia sericea, & vestis holoserica gausapina. parui venduntur amicis. O salue dominè Doctor. vis induam hoc biretum? ecce speculum, inspice, quàm similem, & elegantem istam faciem referat. quatuor iulijs tantum.*

Ful. *Facesse hinc, mastine. quem hodie perfidum offendi Iudæum!*

Isaac *Bona verba quæso. habeo ad manum epitogium, & crepidas, quibus inter studendum vti poteris. quanticunq; vis, emere licet.*

Ful. *Proijce te in Tyberim, bestia.*

Isaac *Oi, est nimium altus, & rapax. audi domine doctor, si quæ ad cultum corporis, & domus ornatum pertinent, mercari a me volueris, ecce dextera, per Moysem nostrum iuro, me habere in capsis, quæ tibi non displicebunt.*

Ful. *Nisi hinc abeas, volo te calcibus, & pugnis appetere, totumq; istud os infringere, caputq; imminuere. abeas in malam crucem.*

Heu,

Isaac *Heu, noli me sic malè afficere. alij doctores: quin etiam Principes a me Isaaco mercari solent.*

Heus, o Iudęe, ante fores expecta,

Isaac *Quis me de fenestra vocat? non abibo. circuiui hodie totam Vrbem, & vix vendidi sudariolum. illi nummi ad emendum vini sextarium satis fuerunt. ad vnicum panem atrũ, quem in pera seruaueram, solum quinq; nuces adhibui. O infelix Iudæorum conditio. iam non Iudęi; sed Asinarij appellari possumus.*

Hic, profusa aqua, madefit Iudęus.

O qui mali Christieni, non permittũt nos absq; insidijs ire quò volumus. madefactus est galerus hic meus ab illo puero, qui de fenestra feruidam profudit aquam. iter pergam, ne mihi peius contingat. vale domine doctor.

Ful. *Eas inauspicato.*

Isaac *O qui vult emere scruta. qui vult fomite sulfurata permutare vitrum fractum?*

Ful. *Vt ad institutum sermonem reuertar: ardet amore adolescens, ac si iuuenis esset. immo vult vxorẽ ducere. quid eget vxore adolescentulus? admiror, cur Præfectum Philosophus non admonuerit. ob id omnes parentes monitos volo, vt suos instituant filios, non ad solatia, non ad ludos, non ad concœnationes, & ad otium: sed nimirum ad bonam frugem, ad disciplinam, ad laborem.*

Heus Medice, venias, expectaris.

SCENA QVARTA.

Aspasius. Scriba. Vrbanus.

Asp. EXequutus fui iussa Præfecti, satellitibus in mandatis dedi, vt Agnetem se Christianam profitentem captiuam ducerent in custodiam. Pulsa igitur fores Rogerij satellitum ducis: iube illum cum tota Cohorte huc accedere: præcipias illi etiam, vt Agnes reuincta quamprimum ante nos adducatur. dic, vt quam ocissimè imperata faciat.

Vrb. Heus heus Rogeri, Iudex iubet ad se Virgunculam Agnetem adduci. scis quod tuum est. fac dicto citius vna cum tuis militibus in forum venias, & Iudicem pro tribunali sedentem adeas. . . . .
Rogerius dicto audiens fuit, mox aderit.

Asp. Est sanè Rogerius in hoc munere persungendo satis diligens. tu Scriba, fac referas in querelarum volumen totum examen, iuxta nostri fori, ac Tribunalis ritum, & consuetudinem. quid sribis nunc? *Scrib.* preambula.

SCENA QVINTA.

Aspasius. Scriba. Vrbanus. Agnes. Rogerius. Satellites.

Vrb. ECce Rogerius, ecce Agnes, ecce Satellites.

Asp. Iurato per Deos immortales, te coram nobis

bis veritatem asserturam.

Agn. Veritatem fateri volo. Deum trinum, & vnum adoro, & illi soli in veritate, ac puritate seruio.

Asp. Scisne cuius criminis fueris accusata?

Agn. Qui me accusarunt, falsam Deorum religionem sectantes, Christum, quem ego colo, & prædico natum de Virgine Filium Dei vnigenitum, negant.

Asp. Ergo tu Christiana? tormentis te dedam vsq; ad necem, nisi tu quoq; negaueris.

Agn. Christum negem? absit. sed illum affirmo esse Deum, & hominem totius mundi redemptorem, sine cuius lege vos omnes miseri peribitis.

Asp. Ego, si vellem, pro tribunali sedens, possem nunc te supplicio capitis damnare: sed si credere in Deos nostros, & Lepidum Præfecti filium accipere virum volueris, omni te prorsus pœna, & supplicio liberam dimittam: quin etiam efficiam, vt honoribus, diuitijs, & opibus emineas: Domumq; Præfecti totam obstringes hoc beneficio, cuius delere memoriam obliuio nulla poterit.

Agn. Si Præfecti filio satisfacerem, hoc non eßet beneficium; immo maleficium. si deficerem a fide Christiana, essem Idolorum cultrix: quod omnino detestor. vestros itaq; Deos nego, & execror, non nisi ligneos, & lapideos. istas pollicitationes, o Iudex, paruipendo, & minas

tuas, atq; omnia tormẽtorum genera nunquam timebo -

Asp. *Semihoram tibi constituo, qua decernas, quid agendum, vt euadas capitis periculum. Ego iam decreui te vinculis, ignominijs, igne, ferroq; multare. saluti tuæ consule. Nec verò confidas te habere, quæ tibi amorem concilient; animi bona, corporis egregiam formam, & familiæ claritatem: his enim spretis, nisi tu ad nostros Deos, cultu, & veneratione transieris, imperabo, vt candida tua membra, postquam a carnifice discerpta, & concisa erunt, coruos in cruce pascant: siq; Lepidum recusaveris, hodie te vestibus exutam, ignominiæ tuæ caussa, in lupanar trahendum curabo.*

Agn. *O scelestе, ac Idolatra, putas forsan futurum esse vnquam, vt vincula, minæ, ignominiæ, ignis, ferrum, & crudele quodq; mortis genus me possint a pristina deducere sententia, atq; ab amore mei sponsi Christi aliquãtulum separare? ecquid credis, vel si ad scorta me iusseris trahi, pudicitiam, castitatemq; meam Christo dicatam, ibi me forte amissuram? o inane, nescis, insane, quantas vires Crucis virtus habeat, quæ non solum hominum iniurias propulsat; sed etiam dæmones tremebundos fugat.*

Asp. *Scriba, totum legito examen. Rogeri, reducito istam in carcerem obscurissimum, nec permittas ei cibum, & potum afferri.*

Iam

Rog. *Iam teneo, quod mihi demandasti, diligenter idipsum præstabo. Tu Bradimartes, voca reliquos, & reducas in custodiam reuinctis manibus Agnetem.*

Brad. *Aureli, Tognelle, Aquilantes, Christophore, Battistelle, Chiauarine, reducitote istam in teterrima vincula; nec inde vnquam educatur, absq; nostri Iudicis mandato. sequimini satellites.*

Scriba Legit examen.

Constituta personaliter Agnes Romana Seiani, & Metellæ filia, coram Iudice pro tribunali sedente, iureiurando interposito, sic primo respondit. A quibus accusata fui falsi Dij coluntur.

2 *Sic respondit. Deum trinum, & vnum adoro, sum Christiana. vestros autem Deos fictitios abhominor.*

3 *Sic respondit. sine Christi lege vos omnes miseri peribitis.*

4 *Sic respondit. Nolo Præfecti filium ducere virum.*

5 *Sic respondit. Non timeo tormenta tua, Iudex; timeo vobis ipsis, qui Deos ligneos, & lapideos adoratis, quos ego detestor, & execrabor in perpetuum. & hæc omnia, quæ dixi, confirmo.*

SCENA SEXTA.

Fulgentius. Aspasius. Scriba.

Fulg. ME *contuli ad Præfecti filium, qui dicebatur ægrotare: illum in cubile inueni morosum, ac tristem: inspexi matellam, nullum indicabat morbum; tetigi brachia, vt possem de more discere, an aliqua Lepidum febricula tentaret: iacet porrò nulla febri iactatus: nullus est ignis, & totus ardet.*

Asp. Amoris igniculos restinguere quis valet, Fulgenti? Leones febris; Tauros amor prosternit. Agnes vrit Lepidum, ac torquet. sed illa, Medius fidius, nisi assentiatur, acerbè torquebitur ad necem vsq;

Fulg. Huic ægritudini, vel si Esculapius, & Galenus quoduis medicaminis genus adhiberent, mederi non possent. cura igitur, si bene cupis Lepido, vt Agnetem vxorem ducat. ad alios me confero ægrotos.

Asp. Parendum imperio, aut vrendum. Seiani filia, velit, nolit, nubet. eas licet, Medice.

Fulg. Tu beneuale, & salue.

Asp. Nos verò hinc concedamus, remq; omnem ad Vrbis Præfectum referamus.

SCE-

SCENA SEPTIMA.

Nuncius.

Nun. OH, oh, loqui nō valeo: immo præ nimio dolore, nec etiam hiscere. vbi pietas? vbi æquitas? vbi misericordia? vicit furor iustitiam, mendaciū veritatē. Hæccine est pudicitiæ merces? hęccine honestatis compensatio? heccine virtutis laus? Vbi Agnes illa, cui pietatis, & pudicitiæ antiquissima fuit cura? vbi Virguncula, quæ se Christianam profitebatur? vbi quę respuit, quę sunt hominum opinione amplissima, vt soli Christō ad hæreret? in tetrum carcerem detrusa: in vincula coniecta: compedibus, & manicis ferreis obstricta: calamitatibus, & miserijs in illa obscuritate, ac fœtore non tolerando; exposita. lacrymas continere nequeo. Quis crederet Agnetem pręclarissimis parentibus ortam in orbis Theatro, ac tantis domi suæ delitijs affluentem, nunc in tanto luctu, atq; erumnis iacere? heu heu. in quem errorem est lapsa? quid mali puella commisit? an fortè Deum tota mente non coluit? an iustitiæ, pietatisq; hanc ipsam cepit vnquam obliuio? tantum abest, vt ab officio disceßerit, vt in eo semper a teneris, vt Gręci dicunt, vnguiculis, permanserit. Sic ergo alta, & nutrita Agnes in hoc ineuntis adole-

scentiæ

scentiæ flore, sic afficienda? tam iniquis subijcienda viris Idola colentibus? mala, quę nunc perfert Agnes, recensere si velim, in verba doloris plenißima lacrymabũdus prorumperem. Vnusquisq; sibi ob oculos ponat carcerem teterrimum, fœtorem, ferrea vincula, sæuitiam Iudicis, Tortoris insaniam, impiam satellitũ custodiam, inediam, cruciatus, totq; miserias, quot ego præ lacrymis referre nõ valeo. Quo longiorem habeo sermonem, eo vehementior fit dolor meus, & vberior lacrymarum copia.

ACT. QVINTVS

SCENA PRIMA.

Simphronius. Aspasius. Scriba. Vrbanus. Oriens. Aulici.

Simp. ERGO *Agnes execratur Deos nostros? ergo spernit, ac detrectat imperium? in minimis ponit filium meum? vix adduci possum, vt credam.*

Asp. *Mihi affirmanti crede: ipsa neq; pollicitationibus, neq; minis, neq; iurgijs, neque blanditijs a proposito dimoueri potest.*

Ducatur

Simp. Ducatur Agnes iterum ante nos.

Asp. Vrbane, fac moneat Rogerium officij sui, Vrbis Præfectus vult denuò interrogare puellam.

Vrb. Sine mora me confero. Rogeri heus heus ducatur Agnes quam celerrimè ante Vrbis Præfectum. *Rog.* Ecce me ad carcerem celeriter confero.

Scrib. Ante nos quam primum sistito.

Simp. Oriens, quid nam tibi de ista puella videtur? non ne capite esset damnanda?

Or. Indulgendum est ætati, quæso ignosce.

Simp. Hanc ab caussam distulit Aspasius eam Carnifici cruciandam tradere.

Asp. Lex iubet, o Præfecte, iustitia postulat, nostrorum Deorum cultus, & hæc viuendi ratio requirit, vt quemq; Christi fidelem omnino damnemus, eoq; magis Agnetem, quę cum aduersetur operibus nostris, digna non est, quę lucis huius vsura fruatur. Quamobrem sentio, hanc esse orco mittendam.

Hinc Agnes vincta ducitur ad Præfectum.

SCENA SECVNDA.

Præfectus. Iudex. Agnes, & alij, qui supra.

Simp. AVdis Iudicem Agnes? vitam tuam, & necem in manibus eius posui. satius esset sponte, quàm vi tormentorũ assentiri. sęuus est Iudex: ego verò misertus fui adolescentiæ,

tiæ, ac tuæ pulchritudinis, tuorumq; parentum præclarissimorũ rationem habui. sed Aspasius aliter, atq; ego, tecum se geret.

Agn. *Tormenta quæuis non sunt mihi timori: Aspasij sæuitiam nihili duco: habeo mecum, qui me seruabit intactam, tutelarem angelum. iterum, ac sæpius affirmo Templa Deorum, quos colitis, esse Dæmonum Domicilia, & vos omnes inseruire Sathanæ. quid igitur conamini eò me deducere, vt a fide catholica deficiam? o Iudex, damna, vre, seca, amputa: ego semper cum Christo sponso coniuncta manebo.*

Asp. *Tace tu. amplius hiscere non audeas.*

Simp. *Effice quod æquum est Iudex, intro me conferam. comitamini.*

Asp. *Bradimartes. Præcipe Carnifici, vt Agnetem inter scorta ducat, qua cum omnis e plebe rem possit habere. liga eam in medio foro meretricio: nos autẽ ad prandiũ acceleremus. nec soluatur, quoad non huc a prandio reuertamur.*

Brad. *Carnufex, percepisti? exequere.*

Carn. *Percepi, & iam exequor. Non te pudeat Virguncula me anteire; sic pœnas pertinaciæ tuę luerete iußit Iudex. Nisi mutaueris consilium, iubente Aspasio, te hoc vinculo suspendam, siue caput hoc cultro amputabo.*

Hic vestibus exuitur Agnes.

Roge. *Bradimartes, quid ais? misella Agnes poterat Lepido spontè assentiri, nec voluit? meritò hæc patitur. quid aget in foro alienis cupiditatibus*

tatibus exposita? noluit Lepido aßētiri assenti-atur nūc infimę plebi. Bradimartes voca cunctos, & eamus ad Iudicem nostrum Aspasium.

Agnes exuta genuflexa sic orat.

Bone Deus rerum omnium opifex, in cuius ditione cuncta sunt posita, & cui subsunt humanæ prorsus creaturæ, tibi gratias ago, quòd mihi candidam hanc vestem, qua corpus meum tegere possem, admirabiliter apposuisti.

Angelus apparet.

Ang. *Ne dubites filia, bono sis animo. nemo audebit pudicitiam tuam deflorare. sic intacta, & Virgo permanebis. Christo iam tu dicata sic plac̄es, vt ab illo, tanquam sponsa immaculata, sis vbiq; seruanda, & protegenda semper.*

Agn. *Gratiam altissimo Deo maximam habeo, qui me famulam tuetur illęsam. in eo igitur spes mea omnis conquiescit.*

Ang. *Spem habeas in illo, & nihil vnquam timeas. ipse, vt agnus innocens, Christus mundi redemptor, te Agnetem perpetuò seruabit.*

Agn. *Qui confidit in Domino, sicut mons Syon, in æternum non commouebitur.*

SCENA TERTIA.

Lepidus. Agnes Fabiolus. Cacodęmon.

Lep. *Ecce iam Agnetem in Lupanari expositam. accipiam, & quò volo, ducam. cum illa cupidi-*

cupiditates tam diuturnas explebo. me felicem. Omnia tempore fiunt. Accedam audacter ad illam, & nihil timebo. Mea lux, mea dulcedo, meumq; desiderium, quid vis a me? impera. nunc te, si mihi satisfeceris, libertate donabo. nunc tempus illud est, cum tuæ Virginitatis florem tutò percipere possum: & amoris fructus, ita dulces, ita suaues colligere.

Caco dęmon suffocat Lepidum.

Caco. *Nefarie, nefarie. quid ausus es in Christi sponsam iniicere manus? quid animo voluebas aduersus eius pudicitiam? iam toties culpam admisisti mortalem, quoties in eam tua prolapsa fuit libido. iam te in tanto facinore deprehendi: planè dignus es æternis cruciatibus. Nunc si mihi liceret per diuinã iustitiam hanc tuam animam ad inferos trahere, o quantam vim tormentorum, quot supplicia, qualesue pœnas acerbissimas tuæ temeritatis luere cogereris, & in illis flammis, ac miserijs nobiscum excruciareris! Tu, quoad eius fieri poterit, meas manus, cathęnas, ferrum, flammas, & iam tibi, pro tuis flagitijs, parata tormenta non euades.*

Cacodęmon erumpit.

Agn. *Mitissime Deus, misericordiarum pater, per merita Iesu Christi filij tui, qui est lux, via, veritas, & vita, delinquentibus ignosce, illos, te precor, in rectum salutis tramitem reducas, & vt bonus pastor, hanc ouem, quæ*

iam

iam errabunda perijt, in tuum gregem recipe, agnosce, vt ipsa te sequens agnoscat, & semper tuo diuino aspectu perfruatur.

SCENA QVARTA.

Laurentiolus. Vrbanus.

Lau. *O Me infortunatissimum. si verum sit, quod modo de Lepido audiui, actum est de me. quis hic iacet interemptus? heu Lepidus ipse est. O saeua, & horrida fata.*

Vrb. *Tanto maerore laetitia compensatur? oh, oh. in hoc foro extinctus est Lepidus? adduci non possum, vt, hoc verum esse, credam.*

Laur. *O magnum infortunium, nunc agnosco, & iniquissime fero. qua morte absumptus est? cruor non videtur effusus; laqueo se fortasse suspendit? hoc fieri non potest; veneno interijt? nullum extat signum.*

Vrb. *Est porrò Lepidi cadauer. sibimet ipsi, vt puto, quia non potuit Agnetem vxorem ducere, mortem intulit. sic erat in fatis.*

SCENA QVINTA.

Vxor Praefecti. Praefectus. Oriens. Vrbanus.

Vxor. *QVàm cruentus me stimulat dolor? est immane, dirum, horribile, quod fuit ad me allatum.*

allatum. quid admirationis, & metus? date responsum. quid ingemiscitis? quod infortunium? quod malum? verum ne est filium meum in hoc foro suffocatum iacere? heu me miseram.

Praef. Heu fili mi, heu fili, quid potuit ista mulier cula contra te? quid machinata fuit? mortem intulit? o Dij boni, aliquid opis occidenti filio meo afferte. rogo vos vehementer. Dic tu Agnes, quonam pacto filium meum vita privasti?

Agn. Non ego manus intuli; sed humani generis perpetuus hostis. nunc solus Christus Deus, & homo posset filium ad vitam reuocare.

Pref. Restituas integrum, & viuum istum nobis natum, & quaecumq; vis tua caussa faciam, tibi quidem auctoritate, gratia, studio, & opibus non deero.

Agn. Vos omnes, qui in Deum trinum, & vnum non creditis, eccedite, dum sanctissimam inuoco Trinitatem. Tu Deus, qui cuncta scis, & vales, fac opera tua mirabilia nunc manifestentur, vt infideles isti tuam agnoscant omnipotentiam, simulq; sapientiam, & bonitatem. Tu, inquam, qui caecis lumen restituis, & surdis aures patefacis, in sua membra redigis incolumes, oppressos ab immundis spiritibus liberas, & mortuos ad vitam reuocas; reuoca nunc adolescentem ab ista morte, libera illum de Sathanae imperio. Adolescens, per admirabile

signi

ſigni crucis virtutem, ſurge: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Surgit mortuus, & exclamat.

Lepi. *Chriſti fides eſt neceſſaria ad æternã ſalutem: Deorum cultus eſt execrabilis omnino: ſine baptiſmate nemo ſaluari poteſt. Deteſtor igitur, & abhominor Deorum templa, atq; impium illorum cultum: vni Romanæ Eccleſiæ, cui præeſt Chriſti vicem gerens Pontifex maximus. .N. adhæreo, & quod in Apoſtolorum Symbolo continetur, planè credo. Agnes tibi gratias ago, & vitam hanc acceptam fero. ſi prius tentaui pudicitiam tuam, vt explerem amoris libidines, ignoſce; tunc enim infidelis erã. peccaſſe me pœnitet, pœnitentiam agam. Iterum, ac ſæpius abhominor Idola, deteſtor, o Dij templa veſtra; voſq; Parentes, idem faciatis, rogo; alioquin damnabimini. ego verò curabo quam primum, Chriſto ſit gratia, me Baptizzandum. Catholicam fidem, & Euangelium ſemper in corde meo ſeruabo, & fructus in poſterum pœnitentia dignos afferam.*

Multi dant nomen in Chriſti militiam, inter quos Philoſophus, & Iudæus Lepidum ſequuntur.

Ori. *Vera eſt philoſophia, de morte cogitare; nemo poteſt bene mori, niſi ſi malè vixerit, eum pœniteat; nemo poteſt bene viuere, niſi qui Chriſti legem ſeruet; nemo poteſt eius legem ſeruare, niſi ſit fidelis; nec fidelis quiſq; eſſe, niſi per vnum baptiſma; & nemo poteſt baptiz-*

zari, nisi prius detestetur Idola, & impium Deorum cultum. idcirco nunc abhominor, ac detestor Idololatriam; & vni Ecclesiæ Christi fidelium matri adhæreo.

Isaa. *Nunc a Synagoga nostra deficio: sacro me fonte abluendum curabo. qui crediderit, & Baptizzatus fuerit, saluus erit.*

Præf. *Si fieri posset, vt ignis Agnetem liberarem supplicio, quia nobis viuum restituit filium, perlibenter eam liberam dimitterem; sed vereor, vt ipsa, Iudice Aspasio, capitis periculũ euadere possit.*

Vxor *Illi sanè, mi vir, tantum nos debere arbitror, quantum persoluere difficile est. quid gratius, & optatius nobis accidere poterat, quàm filium incolumen recipere? miserearis illius puellæ. sed vbi Lepidum nostrum inueniemus? nil mihi longius est, quàm vt filium alloquar nostrum.*

SCENA SEXTA.

Amantius. Aspasius. Scriba.

Am. *HEus, heus, præcellentissime Domine, accurre, o qui rumores! fer opem, accurre.*

Asp. *Reducatur quamprimum Agnes, & indicta caussa, igne crematur. Quæ seditio? qui rumores? intercipiantur omnes Christi fideles, & in foro statim igne crementur. publicetur edictum,*

edictum, & ad valuas palatij nostri affigatur.

Hic Tuba signum datur.

Scriba. *Ex edicto nostri Vrbis Præfecti cauetur, ne quis audeat cum Christianis vllam societatem, & comercium habere; immo nec loqui cum illis præsumat: qui contra sic egerit, omnibus ignominijs, vinculis, verberibus, & capite multabitur.*

SCENA SEPTIMA.

Nuncius. Nutrix.

Nun. *PRoh Deum immortalem, quod hoc sæuitiæ genus? quæ hæc coniuratio? Vidi Agnetem in medio foro, extructo rogo, comburendam. accurrerunt vndiq; gentes ad hoc tam immane spectaculum. Datur igni carnes, non bestiæ, non infidelis: sed virginis Romanæ; sed Christi sponsæ.*

Nutr. *Quid narras de Agnete mea?*

Nun. *Infausta, & infelicia.*

Nutr. *Vidisti fortè illã hodie? querito, nec inuenio.*

Nun. *Vidi, sic vtinam non vidissem.*

Nutr. *Vbi nam?*

Nun. *In medio foro, iussu Iudicis, igne cremandam.*

Nutr. *Heu, me deficit animus. verum ne est?*

Nun. *Historiam narro; non fabulam.*

Nutr. *Quid me fiet perdita? supplex ad te confugio, bone Deus, & genuflexa rogo te, vt Agnetem*

inuenire possim illęsam, & cũ illa ętatem transigere: alioquin in aliquam inciderem desperationem, proh dolor.

Discedit Nutrix.

Nun. *Noli desperare. pro Christiana fide patitur Agnes. Sic Roma triumphas? hæc tua victoria? hæc sunt honoris officia? deducitur, & reducitur nobilis Virgo e foro ad carcerẽ, e carcere ad forum, vbi nullus est, qui non sæpius in hæc verba prorumpat, comburatur Agnes, cõburatur Agnes. veh tibi, Iudex, per quem iniusta lata fuit sententia, aduersus fortè ream? non ream; sed meritißimam omni laude adolescentulam, non impiam; sed eam, quæ summa pietate Deum colit, ac veneratur, non inhonestam; sed ipsam, quæ Christo Virginitatem suam dicauit. audiui clamorẽ, quàm magnum clamorem! de medio tollatur Agnes, de medio tollatur Agnes. quis lacrymas continere potest?*

SCENA OCTAVA.

Aspasius. Iurisperiti. Scriba.

Asp. *QVid cunctamur? flamma non attigit Agnetem. prædicat, & auget Christianam fidem. multi ex nostris a nostra religione ad Christum transeunt. euocate huc cohortem.*

Iuris. *Quid opus est verbis? interrogetur denuò puella,*

ella, velit ne deficere a fide, an non; postea, de iurisperitorum consilio, sententiam mortis in eam pronunciare poteris.

Asp. Ita sum facturus. iam decreui si repugnauerit, & contradixerit nobis, eam carnifici capite plectendam tradere.

Iuris. Nihil melius, & æquius. maturè facto opus est. Ecce cohors. ecce Agnes vincta ducitur.

Asp. Es ne, dic serio, eadem adhuc sententia?

Agn. Ita sentio, & confirmo. Sum, inquam, Christiana Christi sanguine redempta, & illi desponsata. me profiteor Ecclesiæ Catholicæ filiam, & vbiq; semper, postposito quouis tormentorum timore, prædicabo legem Euangelicam esse necessariam ad æternam salutem consequendam.

Asp. Siccine audes impia, & rea mortis Agnes? te quidem in presentia condemnare volo. scribe tu sententiam.

Nos Aspasius Vrbis præfecti Iudex pro tribunali sedētes, accusatione, seu inquisitione facta contra Agnetem Seiani, & Metellę filiam, de & super spretū nostrorum Deorum, & professione nouæ religionis Christi, visis eiusdem Agnetis responsionibus, ac toto processu, & visis videndis, per hanc nostram diffinitiuam sententiam, quam de iurisperitorum consilio, in his scriptis ferimus, dicimus, declaramus, pronunciamus, & sententiamus dictam Agnetem esse ream mortis; & capite plectendam.

 & ita

& ita exequi mandamus non solum præmisso; sed & alias omni meliori modo &c. Ita *pronunciaui Ego Aspasius Iudex.*

Discedit Iudex.

Scriba promulgat sententiam latam.

SCENA NONA.

Amantius. Vrbanus. Lambertus. Fabiolus. Scipio.

Am. VBi est Lepidus meus Dominus?

Vrb. *Adhuc nescis? est a Dæmone suffocatus.*

Am. *Heu, sunt ista creditu difficilia, & narratu admirabilia. heu, heu.*

Vrb. *Audi. paullò post Agnetis precibus ad vitam reuocatus; dedit nomen in Christi militiam.*

Recipit se deflens Amantius.

Fab. *Ipse quoq; interfui eius clamoribus, qui porrò mihi metum incutiebant. soli Agneti adscribenda est culpa.*

Lam. *Quis vidit heri mei filiam? circũtuli oculos in omnem partem domus, cernere Agnetem non potui. Vbi delitescit?*

Scip. *Ex quo illi, Lepidi nomine, attuli torques, & alia dona, quæ statim recusans remisit, nunquam amplius vidi, nec meum etiam dominum.*

Vrb. *Audisti modo? proh stupor!*

Lam. *Quid amplius?*

O quæ

Vrb. O quę vociferationes, & eiulatus in ædibus Præfecti nostri! o qui tumultus!

Fab. Non nisi Lepidi caussa; qui cum a nostris Diis, atq; Deabus transierit ad Christi legem, ex aulicis allexit multos, & quamplurimos ex hac Vrbe Baptismatis fonte nunc se abluendos curant, & Euangelium palam profitentur.

Scip. Tormenta, quæ nunc perfert Agnes, meritò patitur, quid Lepidum respuit, & se Christianam profitetur?

Lam. O me perditum. & hæc omnia nesciebam. in forum eo, an vsquam inuenire possim heri mei filiolam. faxint Dij, salua sit.

Vrb. Est peius.

Lam. Ecquid?

Vrb. Agnes capitis a Iudice iam condemnata fuit.

Lam. Miserabile dictu. oh mea Agnes. simul tecum emori malo, quàm sine te viuere. quid ab hoc mœrore nos vnquam alias excitabit ad lætitiam? in luctu perpetuo iacendum. heu, heu.

Vrb. Eamus quo ducta fuit Agnes ad patibulum.

Fab. Iam extructa est contignatio, parata securis, & instat plebs, vt Agnes quamprimum de medio tollatur.

Scip. Maturemus discessum.

SCENA DECIMA.

Nutrix. Agnetis famulæ. Laurentiolus.

Nutr. SIc angor animi, vt fieri quidquam non possit me vna miserius. ita multa hac die, præter expectationem, aduersa prorsus obtigerunt.

Fa. 1. Querito meam dominam, inuenio nusquam. heu nutrix, quæ illi lac præbuisti, æque doles tu, atq; nos ambæ famulæ?

Nutr. Tanta est vis doloris, vt ei resistere nequeam. si referrem quæ vidi, & audiui de Agnete fieri ad Matrem suam, sibi mortem statim afferret.

Fa. 2. O Diem doloris plenissimum. ego sine mea domina? vt absq; luce solis dies.

Laur. Nolite loqui tam audacter de Agnete; a satellitibus per exploratores paullò post intercipiemini.

Nut. Nihil accideret mihi optatius, quam vnà cum Agnete diem obire meum. quid prodest mihi vita, si mors illam acerbam reddat?

Fa. 1. Heu, quid agis de morte? vbi nostra domina?

Laur. In potestate carnificis.

Fa. 2. Quid narras? exanimasti me.

Nutr. O filiola, quam lacte meo nutriui, sic altam aspicere nunquam aliàs potero? in ea ingrauescens hęc ætas non conquiescet? queritemus illam.

Ite

Puer. *Ite in forum, & videbitis quid fiat de Agnete vestra.*

Nutr. *Ecquis scit? illius fortasse Iudex miserebitur. O salua sit Agnes nostra,*

Nutr. *Votis omnibus precor, vt antequam e vita discedam, liceat mihi videre illam saluam, & incolumem.*

Puer. *Non meis habetis fidem verbis? res ipsa demonstrabit, quod vobis incredibile videtur. recipite vos in ędes, & ibi casum Dominę vestrę defleatis licet; non alibi. si quid mali acciderit, vobis totum. cauete vobis.*

Nutr. *Quamuis nullibi tuta sit mea salus, nihil curo. nunc vitam, si possem Agnetem de Carnificis manibus eripere, libenter profunderem. o ingens animi mei dolor. oh. oh. oh.*

Fa. 2. *Heu, heu, quę spes nobis fiet reliqua?*

SCENA VNDECIMA.

Nuncius.

Quid sęuius? quid truculentius? quod iniquius? o cęlum. o terra. o gens cuncta, quid non pro Agnetis pudicitia, honestate, pietate, atq; immenso illius in Christū ardore, quid, inquam, omnes verę pietatis cultores nō testantur, quemadmodū Agnes iniustę mortis damnata fuit? Impius fuit Iudex, talem qui tulit sententiam; quę sententia fuit? capitis damnatio:

damnatio: sed multo peiores falsi testes; & pessimi, qui noluerunt ei de Christi fide vera dicenti fidem vllam habere. Ergo plus potuit mendacium, quàm veritas? plus furor, quàm iustitia? plus insania, quàm consilium? plus crudelitas, quàm misericordia? o crudelitatis horridus habitus, truculenta facies, violenti spiritus, vox terribilis, ora sęuissima minis, & cruentis cędibus referta. Ducta fuit Agnes ad vltimum supplicij genus, tubę signo dato, Carnifici eam securi percutere festinanti Virgo dedit corpus excruciandum, & genibus flexis, Christi amore, ceruices prębuit.

Nu. 2 Egreditur exclamans.

O impietas, o crudelitas, o sæuitia, o feritas. Agneti caput amputatum est.

Nu. 1 Vidisti?

Nu. 2 Vidi; heu, heu. ecce linteolus, qui obtruncatę virginis conspersos cruore humeros tegebat.

Nu. 1 Quis dedit?

Nu. 2 Abiecit Carnifex, & ego illic pręsens gemebũdus horridum crudelitatis aspectum cernens, collegi.

Nu. 1 O immanitas, o feritas nunquam reticenda.

Nu. 2 Ecce verum Chisti fidei testimonium, omnibus innocentię, fortitudinis, constantię, ac puritatis exemplum.

SCE-

SCENA DVODECIMA.

Parentes lugubri, & alij ad funus pergunt.

Pat. *O Mea filia dulcissima, quis te ferro hac vita priuauit? omnino ferus, & ferreus ipse. quis abstulit mihi te meum thesaurum, ornamentum, & decus domi meæ? Iudex, Iudex, quid egit vnquam Agnes mali? o sæuitia, o furor, furor, qui arma ministrasti.*

Mat. *Proh dolor. quot cruciatus pertulit mea filia? quod mortis genus? oh, oh. quid de me fiet? reliquum est, vt mihi ipsa mortem consciscam.*

Pat. *Equidem nunc te consolarer; sed consolandus ipse sum. iam inducere animum iurè possumus, eam omni quiete, ac cælesti felicitate perfrui.*

Mat. *Eamus ad eius corpus. o me misera Metella. omni spe decidi. oh oh.*

Pat. *Eamus, vt in prædio nostro sepeliendũ quamprimum curemus.*

Mat. *Quouis me perditam, & afflictam ducito.*

Puer. *O mea domina, non amplius ad te litteras perferre potero. erumnas Herculis supero erumnis meis.*

Fam. 2. *Quis videret Agnetem sic interremptam, sic sanguine tinctam, & non defleat acerbè? non lacrymas fundat vberrimas? eheu, heu.*

Pat. *Tu, filia, iuisti ad superos, ad Cæli gloriam euolasti: nos hic in tanto squallore, ac luctu reliquisti.*

ANGE-

ANGELI CONCINVNT.

AGnes Virgo Romana viuit in Cęlis, gaudent cęlites, laudantes, benedicunt Dominum Alleluia.

FINIS.

QVÆ

QVAE MENDO
INDIGEBANT.

Pag.	Lin.	Er.	Cor.
17.	2.	*qua nam*	*quanam.*
18	2.	*ba nuptia*	*ha nuptia.*
19	18	*exa-audiri*	*ex- audiri.*
20	16	*depijs*	*de pijs.*
	24	*aris*	*aëris.*
21	16	*ex-qua*	*ex qua.*
23	25	*ingros*	*nigros.*
24	10	*cupio id*	*cupio, id.*
26	21	*preptauit*	*peroptauit.*
	22	*Lepidi-*	*Lepidi.*
	29	*ſpembabeo*	*ſpem habeo.*
27	6	*interlegẽdum*	*inter legendum.*
	7	*epiſtola?*	*epiſtola!*
	26	*per breuis*	*perbreuis.*
	28	*ad huc*	*ad. huc.*
28	2	*Aeconomum*	*Oeconomum.*
	4	*iam Diu*	*iamdiu.*
	4	*murtario*	*mortario.*
	13	*treſdecim*	*tredecim.*
	25	*legittimis*	*legitimis.*
30	10	*decreuiſ-ti*	*decreui-ſti.*
32	11	*abſte*	*abs te*
33	13	*aportat*	*apportat.*
	21	*inquã torquei*	*inquam, torqueri.*
25	9	*in inbellis*	*in bellis.*
	29	*cuiuſcuque*	*cuiuſcunque.*
	30	*manducuent*	*maduerunt.*

Vter

Pag.	Lin.	Er.	Cor.
36	24	vter	Vteret.
38	15	cedidit	cecidit.
	30	vbi	,Vbi.
39	26	acfuo	ac ſuo.
45	3	Aeconomus	Oeconomus.
47	22	accelleremus	accelleremus.
48	30	poſſu	poſſum.
51	10	epſe	ipſa.
	22	praculas	preculas.
	27	acerſitum	accerſitum.
53	9	forſam	forſan.
54	19	penas	pœnas.
54	3	trhono	throno.
55	22	conſcire	conſciſcere.
55	22	trhono	throno.
55	23	hare	here.
57	9	abrium	ebrium.
	2	caontur	conatur.
	12	ignauiſsijmum	ignauiſsimum.
60	1	Neptunni	Neptuni.
	6	polego	pol ego.
	22	ſommo	ſomno.
	30	ſuges	ſuge.
61	22	cana	cœna
62	12	Acerſitum	Accerſitum.
	22	illum,	illum.
68	26	ſribis	ſcribis.
73	6	heccine	haccine.
	11	ad hareret	adhareret.
75	12	ab	ob
80	20	eccedite	recedite.
	26	in ſua membra	claudos in ſua membra.
98	8	demonſtrabit	demon-ſtrabit.

GA

GALEATII VBALDI PERVSINI.

NVBERE mortali Virgo aspernata Marito
In lapidis niueo læta quiesco sinu:
Virgineum puro seruaui corpore florem
Agnes æterno sponsa dicata Deo.
Hinc ego dira tuli sæui tormenta Tyranni,
Vt ferrem Sponsi candida serta mei.

IN B. AGNETIS TVMVLVM, qui extat in eiusdem Diuæ Templo ab Illustriss. ac Reuerendiss. Alexandro Medice S. R. E. Card. amplissimo aucto, & exornato.

Matthæus Mandragora.

HIC capite Agnes plexa cubat: ceruice resecta,
Incessit tantus marmora dura rigor,
Marmoreo sic fassa fidem candore puella
Nunc vestram explorat mortua, saxa, fidem.

Vni, Trinoq; Laus.

96

REGISTRVM.

A B C D E F.

Omnia ſunt folia integra.



PERVSIAE,

Ex Officina Vincentij Columbarij. M.D.C.III.

Superiorum permiſſu.